PARS I.
DE
FORMVLIS IN GENERE.
SECTIO I.
DE
ESSENTIA FORMVLAE.

§. 1.

Quum leges bonae methodi requirant, vt rei pertractandae legitima suppeditetur definitio, mihi, de formulis medicis acturo, incumbit definire, quid sit formula medica. Consului hinc celeberrimos, qui de formulis remediorum scripserunt, Auctores, sed, si verum fateri licet, vel nullam, vel saltem non legitimam in iis inveni formulae medicae definitionem. Neque hoc sum miratus, cum partim Medici, nescio, qua opinione capti, parum de definitionibus condendis sint solliciti, partim vero definitio formulae medicae non admodum sit inventu facilis, cum nimis multae eaeque variae dentur formularum medicarum species atque variorum circa eas occurrentium multitudo impediat, quo minus facile illud,

Medici non rite definiverunt formulam.

illud, quod ipsis commune est atque proprium, detegi possit. Ne quis vero me eiusdem, quod in aliis reprehendi, vitii accuset, curandum mihi est, vt legitimam formulae medicae construam definitionem, atque hoc fine regulis vtar logicis, quae praecipiunt, vt attendatur ad varios, quibus aliquid *formula* nominatur *medica*, casus, atque in iis inquiratur, cur aliquid formulae nomine insigniatur, ita, vt abstractionis ope illa inveniantur, quae omnibus formulis medicis communia sunt et propria. Qua de re ad ea, quae sequuntur, attendendum esse velim.

§. 2.

Definitio formulae medicae.

Si quis varias attentiori contemplatur mente formulas medicas, eas, quot et qualescunque sint, in eo convenire deprehendet, vt certis signis certum, quo medicamentum aliquod sit praeparandum, modum determinent. Sic haec formula:

℞ rhabarb. elect. ℥j
F. puluis.

vel

℞ rhabarb. elect. ℥j
lap. ♋ ppt.
nitr. purif. aa ℥ß
M. f. puluis.

certis signis indicat modum, ad quem aliquod medicamentum sit parandum, et idem sic se in

in reliquis omnibus formularum speciebus habet. Non autem necesse est, vt aliquid, si formulae medicae nomen mereri debeat, semper schedulae sit inscriptum, et his nec aliis signis expressum. Hoc enim plane arbitrarium est et more tantum receptum, nec ad essentiam formulae pertinet, quoniam ea non litteris, sed vocibus quandoque, imo omnibus linguis exprimi potest et exprimitur. Hoc tantum requiritur ad formulam, vt certis signis, quae et qualiacunque ea vel maxime sint, certum modum determinet, quo medicamentum fieri vel praeparari debeat. Quae igitur cum ita sint, *formula medica* erit definienda, quod sit *determinatio modi, quo medicamentum fit praeparandum, signis expressa.*

§. 3.

Dubium, quod contra definitionem formulae medicae datam moveri posset, refutatur.

Multi forsan definitionem formulae § 2. datam vitii accusare possent, hac ratione ducti, quoniam illa non determinaret id, ex quo medicamentum praeparari debeat, siue eiusdem *materiam;* sed hi, quibus hoc dubium incidit, logicae minus sunt periti, ideoque sciant, definitionem non continere debere superflua, neque ei immiscenda esse omnia, quae ex ea legitima consequentia deduci possunt. Quod vero haec propositio: quod nimirum formula medica id, ex quo medicamentum sit praeparandum, siue materiam medicamenti indicare debeat, ex definitione §. 2. suppeditata fluat, statim ostendam.

§. 4.

Formula medica docere debet materiam medicamenti.

Nullum medicamentum, quodcunque vel sit, praeparari potest, nisi aliquid adsit, ex quo praeparetur, siue, omne medicamentum praeparandum debet praeparari ex certa materia. Nunc formula medica est determinatio modi, quo medicamenrum praeparari debet, signis expressa §. 2. Ergo formula medica determinare debet materiam, ex qua medicamentum sit praeparandum.

§. 5.

Formula medica non determinat solum materiam medicamenti, sed formam etiam medicamenti.

Formula medica non determinat solum materiam medicamenti §. 4, sed eiusdem etiam *formam*. Cum enim determinet signis modum, quo medicamentum sit praeparandum §. 2, et modus, quo medicamentum paratur, determinet eiusdem formam, hinc non materiam solum, ex qua medicamentum sit parandum, sed eiusdem etiam formam indicat. Omnis igitur formula ex duobus constat essentialibus, nimirum primo ex *determinatione materiae medicamenti*, et secundo ex *determinatione formae* seu *modi* in specie, quo ex data materia medicamentum fieri possit.

§. 6.

Consensus definitionis formulae §. 2. datae cum

Ne quis vero putet, meam definitionem formulae §. 2. traditam ab vsu loquendi Medicorum discedere, mihi ostendendum est contrarium. Multas quidem definitiones, quas Medici de formula dederunt, quamuis non sint legitimae, tanquam testimonia huc pertinentia

nentia allegare posſem, sed hoc, ne nimis sim longus, non faciam. Sufficiat tantum Celeberrimi GAVBII, qui omnium optime de formulis medicis scripsit, definitionem adducere, quae in eiusdem libello de *methodo concinnandi formulas medicamentorum* §. 1. reperitur: *Formula*, inquit, *vocatur remedii pharmaceutici, ex arte inventi, quoad materiam et formam rationalis consignatio, iuxta quam id a pharmacopoeo apte parari atque aegro commode et fructuose applicari potest.* Haec definitio eatenus cum mea conuenit, quatenus eas continet notas, quae requiruntur ad definitionem formulae. Dixi, formulam esse determinationem modi, quo medicamentum sit praeparandum, signis expressam §. 2, et celeberrimus GAVBIVS inter alia asserit, eam esse consignationem remedii quoad formam. Nonne ergo his verbis idem, quod ego, dicit? Quid enim consignatio remedii quoad formam significat aliud, quam determinationem modi, quo medicamentum sit praeparandum, vti apparet ex §. 5. Reliqua, quae in definitione Celeberrimi GAVBII recensita sunt, sunt superflua, quae ex definitione exulare debent, et legitima tantum consequentia ex ea deduci § 3, quemadmodum id a me factum fuit in antecedentibus. Nec plus enim nec minus ad formulam requiritur, quam vt signis determinet modum, quo medicamentum sit praeparandum. Haec vero, quod, vti doctissimus GAVBIVS in sua formulae definitione

Celeb. *Gaubii* definitione ostenditur.

asserit, *remedium sit pharmaceuticum, ex arte inventum, consignatio eiusdem rationalis, quod remedium istud iuxta hanc consignationem a pharmacopoeo apte parari atque aegro commode et fructuose applicari possit*, plane non ingredi debent definitionem formulae, quod cuilibet logicae perito facile est demonstratu.

§. 7.

Formula medica est definitio genetica medicamenti.

Quicquid est determinatio modi, quo aliquid fit, signis expressa, illud est idea determinata modi, quo aliquid fit, symbolice expressa. Fac enim, determinationem modi, quo aliquid fit, signis expressam non esse ideam determinatam modi, quo aliquid fit, symbolice expressam, necessario aliquid deficeret, quod requireretur ad modum, quo aliquid fit, determinandum, adeoque modus, quo aliquid fit, non esset determinatus; id quod contra hypothesin, vtpote quae postulat, modum, quo aliquid fit, esse determinatum. Patet ergo, omne id, quod est determinatio modi, quo aliquid fit, signis expressa, esse ideam determinatam modi, quo aliquid fit, symbolice expressam. Atqui omnis idea determinata modi, quo aliquid fit, signis expressa, est definitio genetica eiusdem rei. Ergo omnis determinatio modi, quo aliquid fit, signis expressa, est definitio genetica alicuius rei. Iam formula est determinatio modi, quo medicamentum sit praeparandum, signis expressa §. 2. Ergo formula est definitio genetica medicamenti.

§. 8.

§. 8.

Materies medicamenti praeparandi existere nequit, nisi quid vel plura adsint, ex quibus constat. Ea vero, quae materiam medicamenti constituunt, dicuntur eiusdem *ingredientia*. Quid sint ingredientia medicamenti.

§. 9.

Formula determinare debet materiam medicamenti §. 4. Materia medicamenti existere nequit, nisi quid, vel plura adsint, ex quibus constet §. 8. Fac ergo, materiam medicamenti constare ex vno vel pluribus, formula determinare debet hoc vnum vel haec plura, ex quibus materia medicamenti constat. Iam illa, quae materiem medicamenti constituunt, dicuntur ingredientia medicamenti §. 8. Qua de re formula, si materia medicamenti ex vno constat, hoc vnum ingrediens, et plura ingredientia, si ex pluribus constat, determinare debet. Formula determinat ingredientia medicamenti.

§. 10.

Definitionem *subscriptionis* condituro in variis formularum exemplis attendendum est ad eas, quae subscriptionem constituunt, notas, eique animo perlustrandum, num hae in omni subscriptione adsint eamque ab omnibus aliis formulae partibus distinguant nec ne? Quod si facit, deprehendet, subscriptionem in formula esse determinationem formae medicamenti. Sic in formulis sequentibus Definitio subscriptionis in formula.

℞ rad. pyreth.
angelic. aa ʒj
merc. dulc. gr. xx
M. f. Trochiſci cum ſ. q. gummi tragac.
℞ rhab. Alexandr. ʒſſ
reſ. ialapp. cum nucl. pin. trit. gr. iv.
conſerv. menth. ʒj
ſacch. in ℞oſar. ſol. q. ſ.
M. f. Morſuli, conſpergantur
ol. foenic. gutt. ij

haec verba:

M. f. trochiſci cum ſ. q. gummi tragac. et *M. f. morſuli, conſpergantur ol. foenic. gutt. ij* complectuntur ſubſcriptionem. Sed quid haec aliud denotat, quam determinationem formae medicamenti? Et eodem modo ſic ſe in reliquis formularum ſpeciebus habet.

§. 11.

Omnis formula debet habere ſubſcriptionem.

Omnis formula determinat formam medicamenti §. 5. Iam determinatio formae medicamenti eſt ſubſcriptio §. 10. Ergo omnis formula debet habere ſubſcriptionem.

§. 12.

Definitio medicamenti abſoluti et relatiui.

Medicamentum in genere ita comparatum eſſe debet, vt ſanitati hominis conducat. Iam vero in hoc modus, quo eſt adhibendum, vt hic finis obtineri queat, determinatus eſt, vel non. In priori caſu, quo modus, quo medicamentum aliquod ſit adhibendum, vt ſanitati conducat, eſt determinatus, dicitur *medicamentum relatiuum*, in poſteriori vero caſu, quo modus

modus illud adhibendi non est determinatus, appellatur *medicamentum absolutum.*

§. 13.

Definitio antecedens illustratur.

Ne mentis acumine destituti hanc medicamenti in absolutum et relatiuum distinctionem in meo tantum natam esse cerebro, nec certo niti fundamento sibi persuadeant, eius veritatem vlterius illustrabo. Equidem eam inter Medicos nec vsitatam, nec ab iis traditam esse probe scio, nihilominus tamen summe esse necessariam docebunt sequentia. Saepissime experientia teste aliquod medicamentum, alias vel maxime innocuum, in certo casu, quo non legitime adhibetur, veneni naturam assumit et medicamentum esse desinit. Eiusmodi medicamentum est medicamentum absolutum, quoniam per se, nulla habita ratione modi id adhibendi, sanitati conducere potest, sed in dato casu, quo non rite, vt hic finis obtineatur, vsurpatur, non est medicamentum relatiuum. Tartarus emeticus eo respectu est medicamentum absolutum, quo consideratur eatenus, quatenus per se, sine respectu ad modum eius adhibendi habito, sanitati conducere potest; hoc vero respectu, quo spectatur eatenus, quatenus hoc vel illo modo in certo casu adhibitus sanitatem amissam restituere valet, est medicamentum relativum. Quodsi igitur accidit, vt illegitime adhibitus sanitati non conducat, tunc amplius non est medicamentum relatiuum, sed absolutum tantum. Quae omnia cum ita sint,

medicamentum absolutum existit tale per solam praeparationem ex data materia, sine respectu ad modum id applicandi, et hinc modus praeparandi ex data materia solus eius formam constituit, cum e contrario pateat, formam medicamenti relatiui consistere in modo medicamentum non solum praeparandi, sed illud etiam adhibendi.

Omnis formula determinat modum praeparandi medicamentum vel absolutum vel relatiuum.

§. 14.

Omnis formula determinat modum praeparandi medicamentum §. 2. Iam medicamentum est vel absolutum, vel relativum §. 12. Ergo omnis formula determinat modum, quo vel medicamentum absolutum, vel relatiuum, sit praeparandum.

Definitio formulae absolutae et relativae.

§. 15.

Formula, quae determinat modum praeparandi medicamentum absolutum, mihi audit *absoluta*, et *relatiua*, si determinat modum praeparandi medicamentum relatiuum.

Omnis formula est vel absoluta vel relatiua.

§. 16.

Omnis formula determinat modum, quo vel medicamentum absolutum, vel relativum sit praeparandum §. 14. Iam formula, quae determinat modum, quo medicamentum absolutum sit praeparandum, est absoluta, et relativa, quae determinat modum praeparandi medica-

dicamentum relatiuum §. 15. Ergo omnis formula est vel absoluta, vel relativa.

§. 17.

Omnis formula debet habere subscriptionem §. 11, hinc etiam tam absoluta, quam relatiua. Corollarium.

§. 18.

Omnis formula determinat formam medicamenti §. 5, hinc etiam tam absoluta, quam relatiua. Corollarium.

§. 19.

Formula absoluta determinat formam medicamenti absoluti §. 18. Iam forma medicamenti absoluti est solus modus medicamentum praeparandi ex data materia §. 13. Ergo determinatio formae medicamenti in formula absoluta consistit tantum in determinatione modi medicamentum praeparandi ex data materia. Quid sit determinatio formae medicamenti in formula absoluta.

§. 20.

Vocabulum *modus medicamentum praeparandi* sumitur vel *late*, seu concretiue, pro modo, quo ex data materia medicamentum fieri debet, et quo in sensu accipitur in definitione Scholion de sensu vocis: modus praeparandi

medicamentum. tione formulae §. 2, vel *stricte*, seu abstracte, pro determinatione modi praeparandi medicamentum sine respectu materiae ex qua, atque in hoc significatu sumitur §. 19.

§. 21.

Quid sit determinatio formae medicamenti in formula relatiua. Formula relatiua determinat formam medicamenti relatiui §. 18. Iam forma medicamenti relatiui est, praeter modum medicamentum praeparandi, modus idem applicandi §. 13. Ergo determinatio formae medicamenti in formula relatiua est determinatio modi medicamentum non solum praeparandi, sed illud etiam adhibendi.

§. 22.

Quid sit subscriptio in formula absoluta. Determinatio formae medicamenti in formula absoluta est tantum determinatio modi medicamentum praeparandi §. 19. Iam subscriptio est determinatio formae medicamenti §. 10. Ergo subscriptio in formula absoluta est tantum determinatio medicamentum praeparandi.

§. 23.

Subscriptio in formula relativa est determina- Determinatio formae medicamenti in formula relatiua est determinatio modi medicamentum non solum praeparandi, sed illud etiam

iam adhibendi §. 22. Iam determinatio formae medicamenti est subscriptio §. 10. Ergo subscriptio in formula relatiua est determinatio modi medicamentum non solum praeparandi, sed illud etiam adhibendi.

tio medicamentum non solum praeparandi, sed etiam illud adhibendi.

§. 24.

Cum omnis formula sit determinatio modi, quo medicamentum sit parandum, signis expressa §. 2. circa omnem formulam necessario aliquis adesse debet, qui determinat modum, quo medicamentum sit parandum, et qui secundum hanc determinationem medicamentum praeparat. Paucis, circa omnem formulam duae occurrunt personae, vna, quae formulam praescribit, et altera, quae medicamentum secundum praescriptum praeparat. Interdum quidem vnica persona non efficit solum formulam, verum etiam simul medicamentum, sed tunc haec vices alterutrius personae gerit. Atque his vtrisque tam forma, quam materia medicamenti perspecta sit necesse est, nam alias non concipere licet, quomodo hic, qui formulam praescribit, hoc efficere possit, nisi ipse tam materiam, quam formam medicamenti sciret, et itidem facile est demonstratu, eum etiam, qui medicamentum secundum praescriptum praeparat, eiusdem formam et materiam nosse debere.

Duae personae circa omnem formulam occurrunt et his tam forma, quam materia medicamenti nota esse debet.

§. 25.

§. 25.

Asserta §. 24. valent quoque de formula absoluta et relatiua.

Circa omnem formulam duae occurrunt personae, vna, quae praescribit formulam, et altera, quae medicamentum secundum formulam praescriptam praeparat, atque his tam forma, quam materies medicamenti perspecta esse debet §. 24. Iam formula absoluta et relatiua est formula. Ergo ea, quae de formula in genere paulo ante dixi, de formula absoluta et relatiua valent.

§. 26.

Circa formulam relatiuam tres occurrunt personae, quarum prima formulam relativam praescribit, altera medicamentum ad hanc praeparat et tertia illud applicat.

Circa formulam relatiuam duo quidem occurrunt, vnus, qui formulam relatiuam praescribit, et alter, qui medicamentum ad hanc praeparat, atque his tam materia, quam forma medicamenti relatiui cognita sit necesse est §. 25; sed praeterea circa hanc formulam alius occurrit, nimirum is, qui medicamentum ad hanc formulam paratum applicat, atque huic nec materia, nec forma medicamenti absolute scitu est necessaria, sed tantum forma medicamenti relatiui, siue, quod idem est, modus illud adhibendi. Cum enim circa formulam relatiuam duae occurant personae, quibus tam materies, quam forma medicamenti relatiui scitu est necessaria §. 25, forma vero medicamenti relatiui in modo id applicandi consistat §. 13, patet, praeter modo dictas personas adhuc aliam, siue tertiam, adesse debere, quae medicamentum ad formulam relatiuam paratum applicat. Tres igitur circa formulam relatiuam occurrunt personae

sonae, quarum prima formulam relatiuam praescribit, altera medicamentum ad hanc praeparat et tertia illud applicat.

§. 27.

Signatura est *expressio eius, quod applicanti medicamentum scitu est necessarium.* Consideret quis varias, et tot, quot ipsi placet, signaturas, et ea, quae dixi, vera esse deprehendet. Ille vero, qui applicat medicamentum, potest esse vel aeger ipse, vel vnus adstantium. Definitio signaturae.

§. 28.

Signatura est expressio eius, quod applicanti medicamentum scitu est necessarium §. 27 Iam id, quod applicanti medicamentum scitu est necessarium, est modus applicandi medicamentum. Ergo signatura docet *modum applicandi* medicamentum. Signatura docet modum applicandi medicamentum.

§. 29.

Signatura docet modum applicandi medicamentum §. 28. Iam modus applicandi medicamentum est forma medicamenti relatiui §. 13. Ergo signatura docet *formam medicamenti relatiui.* Signatura docet formam medicamenti relatiui.

§. 30.

Cum signatura doceat formam medicamenti relatiui §. 28, pertinet ad formulam relatiuam, non vero absolutam, quoniam non haec, sed illa determinat formam medicamenti relatiui §. 18. Signatura pertinet ad formulam relativam, non ad absolutam.

§. 31.

§. 31.

Definitio medicamenti officinalis et magistralis.

Omne medicamentum vel prostare debet in officinis secundum leges prouinciales iam praeparatum, vel non. Prius nominatur *medicamentum officinale*, posterius *magistrale*. Omne ergo medicamentum est vel officinale, vel magistrale.

§. 32.

Definitio formulae officinalis et magistralis.

Formula, quae docet modum, quo medicamentum magistrale sit praeparandum, nominatur *formula magistralis;* ea vero, quae determinat modum praeparandi medicamentum officinale, *officinalis*.

§. 33.

Omnis formula est vel magistralis, vel officinalis.

Omnis formula est determinatio modi, quo medicamentum sit praeparandum, signis expressa §. 2. Iam omne medicamentum est vel officinale, vel magistrale §. 31. Ergo omnis formula determinare debet modum, quo medicamentum vel magistrale, vel officinale sit praeparandum. Iam formula, quae determinat modum praeparandi medicamentum officinale, audit officinalis, et ea contra, quae indicat modum, quo medicamentum magistrale sit parandum, magistralis §. 32. Ergo omnis formula est vel officinalis, vel magistralis.

* * *

SECTIO

SECTIO II.
DE
FORMVLA SIMPLICI ET COMPOSITA.

§. 34.

Quid sit medicamentum simplex et compositum.

Medicamentum praeparatur vel ex vno ingrediente, vel ex pluribus. Illud nominatur simplex, hoc vero compositum.

§. 35.

Omne medicamentum est vel simplex vel compositum.

Omne medicamentum praeparatur vel ex vno ingrediente, vel ex pluribus. Iam illud est medicamentum simplex, hoc vero compositum §. 34. Ergo omne medicamentum est vel simplex, vel compositum.

§. 36.

Quomodo cogitando euolvantur partes medicamenti compositi.

Cum medicamentum compositum ex pluribus vno constet ingredientibus §. 35, omnia medicamenti compositi ingredientia ita comparata sint necesse est, vt simul sumta rationem sufficientem effectus, quem medicamentum compositum producere debet, in se contineant. Quae cum ita sint, aliquid adesse potest, quod maximam partem de ratione sufficiente effectus, quem medicamentum compositum producere debet, in se continet. Illud ingrediens medicamenti compositi, quod maximam partem de ratione sufficiente effectus, quem medicamentum compositum producere debet, in se continet, mihi audit *pars medicamenti compositi principalis*, e contrario

vero *minus principalis*, si minorem partem de ratione sufficiente effectus, quem medicamentum compositum producere debet, in se continet.

§. 37.

Definitio baseos. Pars medicamenti compositi principalis, siue ea, quae maximam partem de ratione sufficiente effectus, quem medicamentum compositum producere debet, in se continet, dicitur *basis*.

§. 38.

Omnis basis ratione virtutis est vel simplex vel composita. Basis est pars medicamenti compositi, quae maximam partem de ratione sufficiente effectus, quem medicamentum compositum producere debet, in se continet §. 37. Iam hic effectus est vel simplex, vel compositus. Ergo basis partem maximam de ratione sufficiente effectus a medicamento composito producendi vel simplicis, vel compositi in se continet. Basis, quae maximam partem de ratione sufficiente effectus vel simplicis vel compositi a medicamento composito producendi in se continet, dicitur ratione virtutis vel *simplex*, vel *composita*. Omnis ergo basis est ratione virtutis vel simplex, vel composita.

§. 39.

Omnis basis ratione materiae est vel simplex vel composita. Omnis basis vel constat ex vno ingrediente, vel ex pluribus. Haec nominatur composita, illa simplex, vtraque vero sic appellatur ratione materiae. Omnis igitur basis est ratione materiae vel simplex vel composita.

§. 40.

§. 40.

Cum effectus supponat vim, quae illum producit, (per princ. philos.) et basis sit pars medicamenti compositi, quae maximam partem de ratione sufficiente effectus a medicamento composito producendi in se continet §. 37, vis baseos maxima pars virtutis totius medicamenti compositi esse, adeoque vi omnia reliqua eiusdem ingredientia superare debet. Cum vero quantitas virtutis non determinat quantitatem molis, (per princ. philos.) haec est indeterminata, adeoque potest esse maior, vel minor. Patet ergo, basin virtute quidem omnia ingredientia medicamenti compositi superare debere, non vero quantitate molis.

Basis omnia ingredientia medicamenti compositi semper vi, non vero quantitate superare debet.

§. 41.

Basis tam ratione virtutis, quam materiae, est vel simplex, vel composita §. 38. 39. Iam basis quantitate quidem virtutis omnia medicamenti compositi ingredientia semper superare debet, non vero quantitate molis §. 40. Ergo basis, quae vel ratione virtutis, vel materiae, vel simplex vel composita est, omnia medicamenti compositi ingredientia quantitate virtutis, non vero molis superare debet.

Demonstrata §. 40. valent quoque de basi tam ratione materiae quam virtutis, vel simplici, vel composita.

§. 42.

Basis ea quantitate sumi debet, qua sufficit scopo exequendo.

Basis est medium, quod adhibetur a Medico ad scopum quendam impetrandum. Iam illud semper medium est eligendum, quod scopo impetrando aequale est. Ergo basis ea quantitate sumi debet, qua sufficit scopo Medici impetrando, atque hoc valet de basi simplici vel composita, tam ratione virtutis, quam materiae.

§. 43.

Basis ratione virtutis in respectu ad effectum a medicamento composito producendum vel peccat excessu, vel defectu.

Cum basis sit pars medicamenti compositi, quae maximam partem de ratione sufficiente effectus, quem medicamentum compositum producere debet, in se continet §. 37, illa non totam rationem sufficientem effectus a medicamento composito ptoducendi in se complectitur, neque vis eius huic effectui producendo est aequalis. Cum itaque vis baseos in medicamento composito effectui ab hoc producendo non sit aequalis, vel maior esse debet, quam necessarium est ad effectum a medicamento producendum, vel minor, quam vt hic effectus produci possit. Paucis, basis ratione virtutis, in respectu ad effectum a medicamento composito producendum, peccat vel excessu, vel defectu.

§. 44.

Si vis baseos effectui a medicamento

Quoniam vis baseos in medicamento composito vel maior est, quam necessarium est ad effectum a medicamento composito producendum, vel minor, quam vt hic effectus produci

duci possit §. 43, necessario, si vis eius minor est, quam vt effectus a medicamento compositio excitandus produci possit, opus habet tertio, quod eius actionem promouet. Iam illa pars medicamenti compositi, quae baseos actionem promouet, dicitur *adiuuans*. Qua de re basis in medicamento composito adiuuans iunctum sibi habere debet, si eius vis minor est, quam vt effectus a medicamento compositio producendus excitari possit. Eius ergo in omni medicamento compositio haud perpetua est necessitas.

compositio producendo impar sit, adiuuans habere debet.

§. 45.

Adiuuans est pars medicamenti compositi §. 44, hinc vis eius est pars virtutis totius medicamenti compositi, et cum basis itidem sit pars medicamenti compositi §. 37, eius quoque vis vt pars virtutis totius medicamenti compositi sit necesse est. Iam basis continet maximam partem de ratione sufficiente effectus a medicamento compositio producendi §. 37, adeoque vis eius est pars maxima virtutis totius medicamenti. Duae partes maximae sunt impossibiles (per princ. mathem.). Ergo vis adiuuantis minor est vi baseos.

Adiuuans basi vi cedit.

§. 46.

Quamuis adiuuans basi vi cedere debeat §. 45, nihilominus tamen non necessarium est, vt ipsa quoque ratione molis sit minus. Demonstratum quidem est, adiuuans basi ratione virtutis esse debere minus §. cit. sed cum quantitas

Adiuuans mole basin non sempter superare debet.

titas virtutis non determinet quantitatem molis, haec in adiuuante est indeterminata, adeoque potest esse tam maior, quam minor quantitate molis baseos.

§. 47.

Scholion. Sit vis baseos, quae minor est effectu a medicamento composito producendo $= a$
eius effectus $= b$
effectus a medicamento composito producendus $= c$
vis ad eum requisita $= d$, erit,

quoniam vis semper effectui pleno aequalis esse debet, $a = b$ et $d = c$.

Iam per hypothesin, vtpote quae postulat, vim baseos minorem esse vi requisita ad effectum medicamenti compositi, et effectum baseos minorem esse effectu a medicamento composito producendo, est

$$\begin{array}{l} a \prec d \\ b \prec c, \text{ ergo} \\ \hline c = b + x \end{array}$$

Sit porro vis requisita ad producendum effectum $x = y$, erit, quoniam
$a \prec d$, adeoque
$d = a + y$ per hypothesin,

$$\overline{y = d - a}, \text{ hoc est, vis adiuuan-}$$

tis

tis semper aequalis est differentiae inter vim necessariam ad effectum producendum a medicamento composito atque vim ipsius baseos. Sit v. g.

$$a = b = 8$$

$$c = d = 12, \text{ erit, quoniam}$$

$$d = a + y$$

$$8 + y = 12 \text{ et per consequens}$$

$$y = 12 - 8 = 4,$$

seu vis adiuvantis hoc casu ad vim baseos est in ratione subdupla, vel se habet vt 1 ad 2.

§. 48.

Ratio, cur vis baseos minor sit, quam vt effectus a medicamento composito producendus produci possit, est respectu baseos vel externa vel interna.

Cum vis baseos minor sit, quam vt effectus a medicamento composito excitandus produci possit, si adiuuante indiget §. 44, ratio adesse debet, cur vis baseos minor sit, quam vt effectus a medicamento composito excitandus produci possit, et haec ratio latet vel in ipsa basi, vel extra illam. Si prius, hoc est, si ratio, cur vis baseos minor sit, quam vt effectus a medicamento composito excitandus produci possit, latet in ipsa basi, ratio haec est interna, externa vero, si latet extra basin.

Si ratio dicta est interna respectu baseos, vel producit eundem quidem cum medicamento effectum, sed tantum minorem, vel diversum.

§. 49.

Fac, rationem, cur vis baseos effectui a medicamento composito producendo sit impar, esse in ipsa basi, siue internam, tunc duo iterum possibiles sunt casus. Vis enim baseos vel producit effectum eundem quidem, quem medicamentum compositum producere debet, sed gradu tantum minori ab hoc discrepantem, vel diuersum et alium, quem medicamentum compositum producere non debet.

§. 50.

Quidnam sit in priori casu, de quo §. 49. mentio fit adiuvans.

Vis baseos, quae minor est, quam vt effectus a medicamento composito excitandus produci possit, excitat, si ratio hac de re latet in ipsa basi, vel eundem quidem, quem medicamentum compositum producere debet, effectum, sed minori tantum gradu ab hoc discrepantem, vel diuersum et alium, qui a medicamento composito non desideratur § 49. Iam fac, prius habere locum, siue vim baseos effectui a medicamento composito producendo imparem excitare quidem eundem, quem medicamentum compositum producere debet, effectum, sed gradu tantum minori ab hoc discrepantem, tunc illud baseos actionem promouebit, quod vim eius minorem ita intendit, vt effectus a medicamento composito excitandus produci possit.

Iam

Iam id est adiuuans, quod actionem baseos promouet §. 44. Qua de re, si vis baseos, quae minor est, vt effectus a medicamento composito excitandus produci possit, edit eundem quidem, quem medicamentum compositum producere debet, effectum, sed gradu tantum minori ab eo discrepantem, vtique hinc omne illud est baseos adiuuans, quod vim eius minorem ita intendit, vt effectus a medicamento composito excitandus produci possit.

§. 51.

Quidnam in posteriori casu sit adiuuans.

Ponas alterum casum, quo vis baseos, quae minor est, quam vt effectus a medicamento composito excitandus produci possit, edit effectum diuersum et alium, qui medicamento composito non intenditur §. 49, tunc illud baseos actionem promouebit, quod efficit, vt non alium et diuersum, sed eundem, qui medicamento composito intenditur, effectum producat, siue, quod ita determinat eiusdem actionem, vt eundem, qui a medicamento composito proficisci debet, effectum producat. Iam id est adiuuans, quod bases actionem promouet §. 44. Ergo, si vis baseos diuersum et alium, qui a medicamento composito excitari non debet, effectum producit, omne illud est adiuuans, *quod baseos actionem ita determinat, vt eundem, qui a medicamento composito est producendus, effectum producat.*

§. 52.

Demonstrata §. 50. 51. exemplis illustrantur.

Multa exempla medicamentorum, quae demonstrata §. 50. et 51. illustrant, occurrunt. Sic laxantibus lenioribus iunguntur trochisci alhandal, adiuuantis vicem explentes. Ista, laxantia nimirum leniora, in medicamento composito fortius purgante baseos vicem sustinentia, producunt quidem effectum eundem, quem medicamentum compositum producere debet, et qui in excitanda alui solutione consistit, sed non tantum, quantus a medicamento composito purgante fortiori desideratur, adeoque minori tantum gradu ab eo differentem. Vt igitur laxantia haec leniora, in medicamento composito purgante validiori loco baseos posita, non eundem solum, quem medicamentum compositum producere debet, effectum, sed tantum etiam, quantus a medicamento purgante fortiori desideratur, producant, hac ex ratione et hoc fine ipsis loco adiuuantis adduntur trochisci alhandal. Neque minus de posteriori casu, quo vis baseos minor producit diuersum et alium effectum, quem medicamentum compositum producere non debet, multa proferre possem exempla, sed, ne nimis sim longus, vnum tantum attigisse sufficiat. Sit e. g. mercurius dulcis basis in medicamento purgante. Hic per se solus, vti notum est, excitare potest saliuationem, adeoque producere effectum diuersum et alium, quem medicus medicamento

mento purgante non intendit. Id quod ne fiat, ipsi aliquid addendum est, quod impedit, quo minus diuersum et alium producat effectum, qui a medicamento composito purgante non desideratur, atque hoc obtinetur additamento purgantium, vices adiuuantis in medicamento composito purgante, cuius basis sit mercurius dulcis, supplentium. Si vero mercurius dulcis in medicamento composito saliuante sit basis, ipsi, ne alium producat effectum, quem non intendimus medicamento saliuante, loco adiuuantis addimus terrea, absorbentia, aut resoluentia.

§. 53.

Si ratio, cur vis baseos minor sit, quam vt effectus a medicamento composito producendus produci possit, est externa, siue latet extra basin §. 48, semper impedimenta adsint necesse est, quae obstant, quo minus basis vim suam exserere possit, atque hoc in casu facile est conceptu, omne illud baseos actionem promouere, quod impedimenta, quae vim eius ab efficacia prohibuerunt, remouet. Iam illud est adiuuans, quod baseos actionem promouet §. 44. Ergo, si ratio, cur vis baseos minor sit, quam vt effectus a medicamento composito edendus produci possit, est externa, omne illud est adiuuans, quod impedimenta remouet, quae obstant, quo minus basis vim suam exserere possit.

Si ratio, cur vis baseos minor sit, est externa, §. 48, omne illud est adiuuans, quod impedimenta remouet, baseos vim reddentia inefficacem.

§ 54.

§. 54.

Exemplis dicta §. 53. illustrantur.

Non deficiunt exempla in praxi, quae demonstrant, saepissime occurrere impedimenta, vim baseos in medicamento composito, quo certus intenditur effectus, imminuentia et retardantia. Sic fac, medicamento composito materiam vel per vomitum, vel per aluum esse euacuandam, huius materiae euacuatio est effectus, quem medicamentum compositum producere debet. Fac vero iterum, hanc materiam vomitu vel aluo eiiciendam difficulter esse mobilem, tunc illud est impedimentum, quo minus basis medicamenti compositi vomitorii, vel purgantis, vim suam exserere possit. Atque hoc in casu illud erit adiuuans, quod materiam vomitu vel aluo exturbandam, sed difficulter mobilem, ita praeparat et disponit, vt facile moueri et eiici possit, id quod obtinetur resoluentibus. Saepius partes, quas medicamentum compositum permeare debet, antequam ad eam perueniat partem, qua quatenus medicamentum agere debet, minus sunt liberae ac ita dispositae, vt vim baseos in medicamento composito infringant, quibus in casibus omne illud adiuuantis vicem explet, quicquid vias, quae virtuti bases medicamenti compositi resistunt, liberas reddit atque eas ita disponit, vt non adeo magnam virtuti baseos creent resistentiam.

§. 55.

§. 55.

Notio corrigentis euoluitur.

Consideraui hactenus illum casum, quo vis baseos minor est, quam vt effectus a medicamento composito producendus produci possit, et, quicquid in eo occurrit notatu dignum, euolui §. 43. Superest nunc alter casus, quo vis baseos in medicamento composito maior est, quam effectus ab eo producendus §. cit. Quodsi igitur vis baseos maior est, quam effectus a medicamento composito producendus, tertio locus est, quod vim baseos, quae maior est quam effectus a medicamento composito producendus, ita imminuit, vt huic effectui producendo aequalis euadat, atque hoc vocatur *corrigens*. Hoc igitur illa pars est medicamenti compositi, quae vim baseos, quae maior est, quam effectus a medicamento composito producendus, ita imminuit, vt huic effectui aequalis euadat.

§. 56.

Corrigens non semper in medicamento composito adesse debet.

Cum corrigente tunc demum opus sit in medicamento composito, si in eo vis baseos maior est, quam effectus ab eo producendus, eaque ita est imminuenda, vt huic effectui producendo aequalis euadat §. 54, corrigentis haud perpetua in omni medicamento composito est necessitas, sed ex eo, absente modo dicta conditione, si nimirum vis baseos non maior est quam effectus a medicamento composito producendus, exulare debet.

§. 57.

§. 57.

Corrigens vim baſeos maiorem non ita imminuere debet, vt effectui a medicamento compoſito producendo impar euadat.

Quoniam porro corrigens vim baſeos maiorem ita imminuit, vt effectui a medicamento compoſito producendo aequalis euadat §. 55, eam non ita imminuere debet, vt huic effectui producendo impar euadat. Fac enim, corrigens vim baſeos maiorem ita imminuere, vt effectui a medicamento compoſito producendo impar euadat, tunc vis baſeos minor eſſet, quam vt effectus a medicamento compoſito excitandus produci poſſet. Id quod cum repugnet fini, patet, corrigens vim baſeos maiorem non ita imminuere debere, vt effectus a medicamento compoſito excitandus produci nequeat.

§. 58.

Vis baſeos maior poteſt conſiderari tanquam compoſita ex duabus partibus.

Si vis baſeos maior eſt, quam effectus a medicamento compoſito producendus, corrigenti locus eſt §. 55. atque cum illud, quod maius eſt altero, poſſit conſiderari tanquam compoſitum ex duabus partibus, quarum altera minori quantitati ſit aequalis, vis haec baſeos maior concipi poteſt tanquam compoſita ex duabus partibus, quarum prima producit effectum a medicamento compoſito producendum, ſecunda vero alium effectum.

§. 59.

De effectu baſeos homoge-

Cum pars vna virtutis baſeos, quae maior eſt, quam effectus a medicamento compoſito producendus, exſerat effectum a medica-

dicamento compoſito producendum et altera praeterea alium § 58, hic alius effectus eſt vel homogeneus cum priori, eo nimirum, qui a medicamento compoſito eſt producendus, vel non. Si prius, hoc eſt, ſi pars ſecunda virtutis baſeos, quae maior eſt, quam effectus a medicamento compoſito excitandus, producit effectum homogeneum cum altero effectu, qui proficiſcitur a prima parte virtutis baſeos maioris, corrigens eſt adhibendum. Cum enim medicamentum eum in finem adhibeatur, vt ſanitati conducat, effectus ab ipſo producendus, quem Medicus intendit, tantus eſſe debet, quanto ad hunc finem obtinendum opus eſt, vnde baſis etiam eſt adhibenda, cuius vis par eſt effectui huic producendo. Quodſi ergo vis baſeos hoc effectu maior eſt, ita, vt eius pars vna producat effectum a medicamento compoſito producendum, altera vero alium, ſed cum priore homogeneum, maiorem exſerit effectum, quam quidem intendit Medicus, adeoque talem, qui ob exceſſum ſanitati officit. Opus ergo eſt alio medio, quo vis baſeos iuſto maior ad iuſtam menſuram redigatur; quod cum fiat adhibito corrigente §. 55, patet, ipſi hoc in caſu eſſe locum, quo pars vna virtutis, qua baſis gaudet, maioris, producit effectum a medicamento compoſito producendum, altera vero alium, ſed cum priore eundem.

neo et heterogeneo.

§. 60.

§. 60.

Heterogeneus baseos effectus est vel disparatus ab effectu medicamenti compositi, vel ei oppositus.

Si pars altera virtutis, qua basis praedita est, producit effectum, qui cum effectu a medicamento composito producendo non est homogeneus §. 59, exserit effectum ab eo heterogeneum, siue diuersum. Iam diuersa sunt vel disparata, vel opposita (per princ. phil.). Ergo effectus diuersus ab effectu medicati compositi, qui proficiscitur a parte altera virtutis, qua gaudet basis §. 59, est vel ab effectu medicamenti compositi disparatus, vel ei oppositus.

§. 61.

Scholion.

Vsus fui in antecedentibus multis terminis philosophicis non explicatis, sed consulto, legibus bonae methodi id non exigentibus, huic labori supersedi, ne libellus hic in magnum excresceret volumen. Quoniam vero aliqui inter hos occurrunt, quos nec adeo frequentes, nec omnibus notos esse puto, vti sunt termini *effectus baseos disparatus* et *oppositus*, eorum explicationem reique ipsius illustrationem clariorem suppeditabo. Notandum igitur est, ea, quae sunt diuersa, ita esse comparata, vt compossibilia sint, seu simul existere queant in eodem subiecto, vel non. Priora dicuntur disparata, e. g. pietas et eruditio, posteriora opposita, vt frigus et calor. Applicentur haec dicta ad effectum baseos disparatum ab effectu medicamenti compositi, vel ei oppositum, et facile erit determinatu, quid

quid per hos effectus intelligatur. Cum enim virtus baseos, quae maior est, quam effectus a medicamento composito producendus, possit considerari tanquam composita ex duabus partibus, quarum vna edit effectum a medicamento composito producendum, altera vero alium §. 58, hic alius effectus, qui ab altera parte virtutis baseos maioris proficiscitur, ita est comparatus, vt positus vel tollat effectum priorem, siue eum, qui a medicamento composito proficiscitur, vel cum eo simul constare possit. Si prius, effectus, qui oritur ab altera parte virtutis baseos maioris, est oppositus effectui a medicamento composito producendo; si posterius, dicitur ab eo disparatus. Sit e. g effectus cuiusdam medicamenti compositi laxantis = 4
vis vero baseos, quae maior est, quam effectus medicamenti compositi = 6
tunc haec vis producit quidem effectum a medicamento composito producendum, qui est = 4 sed et praeterea alium, qui = 2. Sit porro hic effectus cum priore a medicamento composito producendo, qui = 4, idem, siue homogeneus, qualis est, si in laxando aluum consistit, tunc, quoniam hic effectus baseos, qui = 2, non intenditur, corrigens est adhibendum §. 59. Sit vero hic effectus baseos = 2 non idem cum priore effectu, eo nimirum,

qui medicamento compoſito eſt producendus, ſed excitet vomitum, tunc ab eo eſt diſparatus.

§. 62.

Quo in caſu corrigente non abſolute opus ſit.

Sit vis baſeos maior effectu a medicamento compoſito producendo, vt edat pars virtutis baſeos maioris vna effectum deſideratum, altera vero ab eo diſparatum §. 58. 59. 60, non neceſſario hoc in caſu corrigente opus eſt, quoniam hic non obſtat, quin ille, qui a medicamento compoſito eſt producendus, in actum deducatur. Quadrat huc exemplum poſterius §. 61. allatum, quo effectus baſeos, qui = 2, non conſiſtit in laxando, ſed in excitando vomitum, atque hoc in caſu non neceſſario et abſolute requiritur corrigens. Interea, ſi Medicus, certis rationibus extrinſecis motus, eum tantum intendit effectum a medicamento compoſito et vna parte virtutis baſeos maioris producendum, ſine iſto effectu ab eo diſparato, qui prouenit ab altera parte virtutis baſeos maioris, aliquid ab eo eſt adhibendum, quod vim baſeos maiorem effectu a medicamento compoſito producendo ita imminuit, vt huic tantum, non alii producendo aequalis euadat. Id quod cum obtineatur corrigentis ope §. 55, Medicus, ſi, certis rationibus extrinſecis ductus, eum tantum intendit effectum a medicamento compoſito et vna parte virtutis baſeos maioris producendum, ſine effectu ab hoc diſparato, qui proficiſcitur ab altera parte virtutis

tutis baſeos maioris, ad hunc finem obtinendum corrigens adhibere debet.

§ 63.

Medicus quidem, ſi certis rationibus extrinſecis commotus intendit effectum tantum a medicamento compoſito et vna parte virtutis baſeos maioris producendum, ſine effectu ab hoc diſparato, qui proficiſcitur ab altera parte virtutis baſeos maioris, ad hunc finem obtinendum corrigens adhibere debet §. 62. Sed ipſi hoc in caſu iterum ad duo eſt reſpiciendum, vtrum nimirum ea pars virtutis baſeos maioris, quae producit effectum ab effectu medicamenti compoſiti diſparatum, tolli queat per aliquod corrigens, ſalua ea parte virtutis baſeos maioris, quae neceſſaria eſt ad effectum a medicamento compoſito producendum, nec ne? Si prius, corrigens eſt adhibendum, ſed non in poſteriori caſu. In hoc etenim ſi Medicus adhibere vellet corrigens, effectum medicamenti compoſiti, quem tamen intendit, deſtrueret, adeoque ageret contra finem ſuum. Quando eodem opus ſit.

§. 64.

Effectus diſparatus, qui ab altera parte virtutis baſeos maioris prouenit §. 60. 61 non eſt ita comparatus, vt reſpectu finis, quem Medicus medicamento compoſito intendit, ſanitati noceat. Quod enim ſi eſſet, hic effectus diſparatus non eſſet diſparatus, ſed oppoſitus, id quod repugnaret demonſtratis §. 60. 61. Quae igitur cum ita ſint, effectus diſpa- Effectus baſeos diſparatus eſt vel quoad ſanitatem indifferens, vel ei prod-

est, atque in vtroque casu est vel iucundus vel non.

disparatus, ab altera parte virtutis baseos maioris proueniens, ita comparatus sit necesse est, vt vel sanitati conducat, vel respectu eius sit indifferens, hoc est, vt ei neque prosit, neque obsit. In vtroque hoc effectu disparato, qui vel quoad sanitatem indifferens est, vel ei conducit, corrigente non opus est, quoniam nulla adest ratio, cur id sit adhibendum; sed hic iterum ad duo est respiciendum. Est etenim vterque effectus vel simul iucundus, vel iniucundus. Si effectus disparatus, qui ab altera parte virtutis baseos maioris oritur, sanitati conducit simulque est iucundus, corrigente non opus est, quoniam nulla adest ratio, cur illud sit adhibendum, atque Medicum oportet nihil sine ratione agere. Si vero hic effectus non simul est iucundus, sed iniucundus, videndum est, vtrum haec iniucunditas tolli queat ab altera parte virtutis baseos maioris, a qua proficiscitur, per aliquod corrigens, salua ea parte virtutis baseos maioris, quae necessaria est ad effectum a medicamento compositio producendum, nec ne? Si prius, corrigens est adhibendum ad iniucunditatem tollendam, non vero in posteriori casu.

§. 65.

De iniucunditate effectus baseos disparati.

Si effectus disparatus, qui ab altera parte virtutis baseos maioris prouenit, et vel sanitati conducit, vel respectu eius indifferens est, est iniucundus §. 64, haec iniucunditas afficere potest organum gustus, olfactus et visus, adeo-

adeoque respicere saporem, odorem et colorem. Quomodo vero hi iucundi corrigentis ope tolli et in iucundos mutari queant, in genere determinari nequit, quoniam non omnes iisdem delectantur odoribus, saporibus et coloribus. Dulcia et suaueolentia quibusdam placent, aliis sunt infensissima, immo multis male olent et sapiunt omnia e pharmacopolio petita. Plerumque sapori medicamenti iucundo conciliando vsurpantur syrupi, acida, saccharum, etc. Odori vero iniucundo tollendo aquae et olea fragrantia, ambra, moschus, cinnamomum, etc. et coloris gratia conciliatur medicamento cinnabari, santalo rubro, auri et argenti foliolis. Notandum tamen, nec tantam in medicamentis, quanta cibo et potu conciliari potest, gratiam semper obtineri posse, nec ab ipsis aegris exigi, quoniam his inuitatur morbi molestia. Sunt, qui omnem nauant operam in concilianda medicamento coloris gratia per auri argentique folia vbique intermista, sed haec nunquam omissa ridiculam produnt vanitatem, quamuis in pilulis interdum ferri possint.

§. 66.

Quidnam non sit corrigens.

Si quid pro corrigente adhibetur, quod, dum iniucunditatem effectus disparati, vel quoad sanitatem indifferentis, vel eidem conducentis, tollit, aliam producit, vel vim baseos ita imminuit, vt effectui a medicamento composito producendo impar euadat, illud

non est corrigens. Medici hac in re saepissime delinquunt, dum aliquid corrigentis instar adhibent, quod vel, dum vnam iniucunditatem tollit, aliam producit, vel baseos virtutem ita imminuit, vt effectus a medicamento composito excitandus produci nequeat.

§. 67.

De effectu baseos opposito.

Vis baseos, quae maior est, quam effectus a medicamento composito producendus, concipi potest tanquam composita ex duabus partibus, quarum vna producit effectum a medicamento composito producendum, altera vero alium §. 58, qui vel ab eo est disparatus, vel ei oppositus § 60. Quodsi ergo hic effectus, qui ab altera parte virtutis baseos, quae maior est, quam effectus a medicamento composito producendus, oritur, oppositus est effectui a medicamento composito producendo, certum malum, cum hic aliud malum tollere debeat, producat necesse est, quo in casu eo est respiciendum, vtrum altera pars virtutis baseos maioris effectu a medicamento composito producendo, quae hunc effectum noxium producit, tolli queat, salua altera parte virtutis baseos maioris effectu a medicamento composito producendo, quae requiritur ad hunc effectum producendum, nec ne? Si prius, corrigens ad hunc finem est adhibendum; si posterius, ad duo iterum est respiciendum. Vel enim aliud medicamentum datur, cum quo

quo hoc incommodum, quod in noxio effectu consistit, connexum non est, et quod ad finem eundem adhiberi potest, vel non. Si prius, illud est adhibendum, si posterius, videndum, an noxius effectus, qui ab altera parte virtutis baseos maioris effectu a medicamento composito producendo minor sit malo, cui effectus a medicamento composito producendus mederi debeat, nec ne. Priori casu hoc medicamento vti datur sine corrigente, posteriori vero plane ab eo est abstinendum.

§. 68.

Scholion.

Sit vis baseos maior $= a$
eius effectus $= b$
effectus desideratus medicamenti compositi $= c$
vis requisita ad eum producendum $= d$

Est integer effectus b vel homogeneus cum desiderato effectu c vel non.

Ponamus prius; et erit

$b > c$
Et quum etiam $a = b$
et $d = c$
$a > d$, et per consequens
$a = d + p$

Quia integrum a homogeneum est cum d + p (per hyp.)

sit exponens rationis $p : a = n$, erit

$p = an$, et

$a = d + an$

$a - an = d$

$a : d = 1 : 1 - n$

Seu vis baseos hoc casu est ad vim dati medicamenti vt vnitas ad differentiam inter vnitatem et exponentem rationis excessus vis baseos ad illam integram. Quare vt vis baseos vi datae aequalis euadat; adsumendum est corrigens, cuius vis ad vim baseos vt $n : 1$, quae vero contrarium effectum producat, vt in relatione ad vim baseos pro quantitate privatiua haberi, illique addita ipsam ad datam vsque quantitatem imminuere valeat.

Ponamus porro, integrum effectum b non esse homogeneum cum desiderato effectu c, erit tamen pars eiusdem desiderato homogenea.

Sit porro haec pars $= x$
eius complementum ad totum $= y$, erit

$b = x + y$

Sit

Sit exponens rationis $x : c = m$, erit

$$x = cm$$
$$b = cm + y$$
$$b - y = cm$$

Sit porro vis aequalis effectui $y = s$
effectui $x = r$ erit cum

$$b = x + y \text{ (per dem.)}$$

et $a = b$
$x + y = r + s$

$$a = r + s$$

Et quia $x : c = m$ (per hyp.)

$$r : d = m$$
$$r = dm$$
$$a = dm + s$$
$$a - s = dm$$

Quapropter vt hoc casu effectus heterogeneus y tollatur, adsumendum est corrigens, cuius vis aequalis est vi ad eum requisitae s, sed contraria, vt ad eam relata priuatiuae vicem sustineat, adeoque vi baseos adiecta eandem data vi s mulctare possit. Cum vero praeterea exponens m vel $= 1$ vel > 1 vel < 1 esse queat; illo casu nullo alio ingrediente, isto

corrigente adhuc alio, per casum priorem determinando, hoc vero adiuuante opus est.

§. 69.

Scholion. Aliquos eo procedere temeritatis, vt algebraicas thesium mearum demonstrationes et illustrationes inutiles declarent, atque sdvnco naso suspendant, facile coniicere possum, sed hoc neque miror, neque curo, certe persuasus, eiusmodi homines mentis acumine esse destitutos, eorumque cerebrum idearum confusarum tenebris refertum. Lubens concedo, illis, qui algebram non callent, thesium demonstrationes algebraicas nullam afferre vtilitatem, aſt sciant, me has ipsorum gratia hic non apponere, et caueant, ne de re, cuius nullam habent cognitionem, iudicent; alias enim magnam produnt temeritatem ac imprudentiam. Qui contra algebram intelligit, me eius ope veritates detexisse, quas sine istius beneficio vel plane non, vel saltem non adeo facile inuenissem, ex adductis exemplis algebraicis satis superque perspiciet, atque illorum gratia, qui cupiditate flagrant, non vanam et superficiariam, sed distinctam et solidam cognitionem veritatum medicarum sibi acquirendi, algebraicas demonstrationes et illustrationes hic subiungo.

§. 70.

Notio constituentis euoluitur. Medicamentum compositum est illud, quod constat ex pluribus vno ingredientibus §. 34, adeoque est vnum, quod oritur ex combina-

binatione horum ingredientium. Quod si quis considerat, legum cogitandi naturalium ope adiutus, facile mente assequi potest, hic ad duo maxime esse respiciendum. Nam haec ingredientia, quae simul sumta medicamentum constituere debent compositum, ita sunt comparata, vt vel in debitam ac desideratam combinationem siue formam, qua hoc vnum, medicamentum nimirum compositum, constituere debent, redigi possint vel non. Si posterius, hoc est, si ingredientia non debito et desiderato modo combinari possunt, vt exinde desiderata medicamenti compositi forma exsurgat, tertio opus est, quod ingredientia in talem redigit combinationem, vt desiderati medicamenti compositi forma obtineatur, atque hoc vocatur *constituens*. Si prius, hoc est, si ingredientia medicamenti compositi ita combinari queunt, vt exinde desiderata eiusdem forma exsurgat, eo, constituente nimirum, non opus est. *Est igitur constituens illa pars medicamenti compositi, quae reliquis ingredientibus medicamenti compositi in desideratam formam redigendis inseruit.*

§. 71.

Quae circa constituens sint determinanda.

Duo in constituente, qua tali, si loco ingredientis in medicamento composito sit adhibendum, possunt determinari, nimirum 1) eius materia, 2) eius quantitas. Materia constituentis, qua talis, ita comparata esse debet, vt quoad effectum a medicamento composito

posito producendum sit indifferens, id est, eum neque augeat, neque imminuat. Ponatur enim horum alterutrum, priori casu adiuuantis §. 44, posteriori vero corrigentis vicem sustinebit §. 55, adeoque non erit constituens §. 70. Porro in determinatione materiae constituentis respiciendum est ad formam medicamenti compositi, quae desideratur. Cum enim constituens sit id, quod reliquis medicamenti compositi ingredientibus in desideratam formam redigendis inseruit §. 70, consequens est, vt talis constituentis assumatur materia, quae formae medicamenti desideratae conueniens est. Prout igitur alia atque alia medicamenti forma desideratur, alia etiam constituentis materia requiritur, vnde patet, in determinanda materia constituentis ad formam medicamenti, quae desideratur, esse respiciendum.

§. 72.

Quid agendum sit medico, si duae materiae ipsi occurrant, constituentis vicem explentes.

Si duae occurrunt materiae, quae respectu rationum internarum aeque commode vice constituentis in medicamento composito fungi possunt, ratio habenda est circumstantiarum externarum, vt nimirum illud assumatur, quod ratione pretii, gustus, doseos, aliorumque accidentium Medico ad finem obtinendum videtur conuenientissimum.

§. 73.

§. 73.

Quantitas constituentis determinari potest ex forma medicamenti compositi. Quoniam enim constituens est illa pars medicamenti compositi, quae reliquis eius ingredientibus in debitam formam redigendis inseruit §. 70, tanta eius quantitas adesse debet, quanta ad hunc finem requiritur. Qui cum sit forma medicamenti compositi, quantitatem constituentis ex forma medicamenti compositi determinari posse patet.

Quantitas constituentis ex forma medicamenti compositi determinatur.

§. 74.

Forma medicamenti compositi relatiui consistit in modo illud applicandi § 13 et cum hic dosin eiusdem determinet, dosis pertinet ad formam medicamenti relatiui. Sed forma medicamenti compositi determinat quantitatem constituentis §. 73. Ergo etiam dosis in medicamento composito relatiuo determinat quantitatem constituentis.

Dosis quoque medicamenti compositi relatiui determinat quantitatem constituentis.

§. 75.

Quatuor itaque esse possunt partes medicamenti compositi 1) basis 2) adiuuans 3) corrigens 4) constituens §. 37. 44. 55. 70.

Quot esse possint partes medicamenti compositi.

§. 76.

§. 76.

Quando in medicamento composito adesse debeat basis, et quando non.

Si medicamentum compositum constat ex duobus ingredientibus, haec aut vim habent aequalem, quae requiritur ad effectum a medicamento composito producendum, aut non. Si prius, hoc est, si duo ingredientia medicamenti compositi praedita sunt vi aequali, nulla adest pars, quae maximam partem de ratione sufficiente effectus a medicamento composito producendi in se continet, adeoque nulla basis §. 37. Si vero posterius, hoc est, si medicamentum constat ex duobus ingredientibus, vim inaequalem, quae necessaria est ad effectum medicamenti compositi producendum, habentibus, aliquod adesse debet, quod maximam partem de ratione sufficiente effectus a medicamento composito producendi in se continet, adeoque hoc in casu basis necessario adesse debet §. 37. In medicamento igitur composito, si ex duobus ingredientibus, vi ad effectum eiusdem producendum requisita et aequali instructis, constat, non absolute necessaria est basis, sed in eo vtique, quod ex duobus ingredientibus componitur vi inaequali, quae requiritur ad effectum medicamenti compositi producendum, instructis.

§. 77.

Num basis in medicamento compo-

Ponamus vero, medicamentum compositum ex pluribus quam duobus constare ingredientibus, plurium horum ingredientium vis vel singulorum inter se aequalis est, vel non.

Si

Si prius; cum summa alicuius quantitatis aliquoties sumtae ipsa quantitate maior sit (per princ. arithm.) et plures quantitates simul sumtae pro vna haberi queant: si omnia ingredientia praeter vnum simul sumantur, vis summae eorum, vt vnum consideratae, maior est vi vnius alterius. Si posterius; cum maius maiori additum maiorem efficiat summam (per princ. arithm): si ingredientia, quorum maior est vis praeter vnum, cuius vis est minima, simul sumantur, vis horum tanquam vnum consideratorum vi vnius posterioris iterum maior erit. Vtroque igitur in casu medicamentum compositum considerari potest vt medicamentum compositum constans ex duobus ingredientibus vi inaequali praeditis. Sed, si medicamentum compositum constat ex duobus ingredientibus virtutis inaequalis, alterutrum baseos nomen inuenit §. 76. Ergo etiam in medicamento composito ex pluribus, quam duobus ingredientibus consistente, basis adsit necesse est.

sito adesse debeat, si ex pluribus, quam duobus constat ingredientibus.

§. 78.

Sint e. g. medicamenti compositi A ingredientia b, c, d,

erit $A = b + c + d$ (per princ. arithm.)

Sit porro $b = c = d$, erit

$b + c > d$ (per princ. arithm.)

Quare

Quare cum omnis quantitas tanquam vnum ſpectari queat, ponatur

$b + c = e$, adeoque erit

$A = e + d$. Cum vero $b + c > d$ (per hyp.) eſt etiam

$e > d$ adeoque
e baſis medicamenti compoſ. A.

Sit vero $b > c$ et
$c > d$; erit etiam

$b + c > d$ (per princ. arithm.)

Quapropter, ſi ponatur iterum $b + c = e$; erit

$A = e + d$ et per conſequens e iterum baſis erit medicamenti compoſiti.

Sit v. c. $A = 24$
$b = c = d = 8$; erit

$b + c = e = 8 + 8 = 16$, adeoque cum $d = 8$ erit
$16 > 8$, adeoque baſis medicamenti compoſiti A erit $= 16$.

Sit

Sit vero manente A = 24
b = 10
c = 8
d = 6; erit

b + c = e = 18 et cum
d = 6 (per hypoth.)
18 > 6 eritque hoc casu
basis = 18

§. 79.

Si medicamentum compositum habet basin, debet habere vel adiuvans, vel corrigens.

Ponas, medicamentum compositum habere basin, tunc illius vis vel maior est, quam necessarium est ad effectum a medicamento composito producendum, vel minor, quam vt hic effectus produci possit §. 43. Si prius est, basis adiuuans iunctum sibi habere debet §. 44, corrigens vero, si posterius locum habet §. 55. Qua de re medicamentum compositum, si habet basin, vel adiuuans, vel corrigens secum ferat necesse est.

§. 80.

Quando medicamentum habeat tam corrigens, quam adiuvans.

Si medicamentum compositum habet basin, illiusque vis eo respectu est maior, vt producat effectum, qui non intenditur, alio vero respectu minor, ita, vt non sufficiat effectui, qui a medicamento composito desideratur, producendo; hoc casu adiuuans, illo corrigens habere debet §. 44 55. adeoque patet, medicamentum compositum, si habet basin, vel corrigens, vel adiuuans §. 79, vel vtrumque simul habere debere.

§. 81.

Quando medicamentum compositum omnes suas partes habeat.

Si basis medicamenti compositi, quod vel adiuuans, vel corrigens, vel vtrumque simul habet, vel cum adiuuante, vel cum corrigente, vel cum vtroque ita combinari nequit, vt, quae desideratur, forma medicamenti exinde exsurgat, constituente opus est §. 70. Qua de re medicamentum compositum, posita modo dicta conditione, vel adiuuans et constituens, vel corrigens et constituens, vel adiuuans et corrigens simulque constituens habere debet.

§. 82.

Medicamentum compositum eo est perfectius, quo pauciora habet ingredientia.

Perfectio in genere est consensus variorum in vno, et, quatenus obiectum aliquod perfectum est dicendum, eatenus variorum eius coniunctio ex communi quodam principio explicari debet; quod principium, cum ratio determinans perfectionis sit, rationem in se continere debet, cur haec, et non alia varia hoc et non alio modo coniuncta sint (per princ. ontol.). Ad eadem attendendum est in perfectionem medicamenti compositi inquirentibus. Varia eius, siue ingredientia, eum in finem combinantur, vt effectus aliquis datus inde obtineri queat; quare hic finis rationem perfectionis medicamenti compositi determinantem constituit. Perfectum igitur est medicamentum compositum, cuius ingredientium coniunctio ex hoc principio potest explicari, eoque perfectius, quo pauciora ingredien-

gredientia eidem sufficientia fini coniunguntur. Ponamus enim, quinque coniungi ingredientia in medicamento composito, vbi tria producendo fini iam paria fuissent, ex ratione determinante perfectionis medicamenti compositi intelligi nequit, cur praeter haec tria reliqua duo adsumta sint, quare eadem cum reliquis non consentiunt, et idcirco ob dissensum variorum in vno hoc casu obuium, medicamentum iusto pluribus ingredientibus constans altero dato imperfectius est. Patet igitur, medicamento composito eo maiorem competere perfectionem, quo minorem habet ingredientium numerum.

§. 83.

Medicamentum compositum in genere est perfectum, quatenus ingredientia eius in vno consentiunt, seu eorum coniunctio ex communi quodam principio potest explicari §. 82, quod est finis eius desideratus, seu effectus respectu sanitatis producendus §. cit. Ponamus ergo, duos effectus sanitati vtiles, sed inaequales esse producendos, minor tanquam pars maioris considerari (per princip. mathem.), et per consequens maior tanquam consistens ex minore et alio seu complemento ad totum concipi poterit. Quare, si maior est effectus medicamenti, ratio determinans perfectionis eius composita est, adeoque ipsa eiusdem perfectio composita dici meretur (per princ. ontol.). Cum vero perfectio composita ceteris

Medicamentum compositum eo est perfectius, quo maiorem respectu sanitatis producit effectum.

paribus simplice maior sit, maior etiam erit perfectio medicamenti, cui maior respondet effectus sanitati proficuus.

§. 84.

Quod vno vales efficere ingrediente, ne tentes pluribus.

Medicamentum compositum eo est perfectius, quo pauciora habet ingredientia et quo maior est effectus, qui his obtinetur §. 82. 83. Qua de re, quod vno vales efficere ingrediente, ne tentes pluribus. Medici, si qua in re, in hac certe plerumque peccant. Ita enim coaceruant ingredientia, vt medicamentum exinde oriatur compositum magno ingredientium numero gaudens, falso sibi persuasi, in eo medicamenti perfectionem esse positam. Nihil dicam de medicamentis magistralibus et officinalibus, quod pleraque istorum ingentem ingredientium numerum habeant, et quod multa eorum ingredientia vi sibi inuicem repugnent. Hinc *illustris b. m.* HOFFMANNVS hanc methodum, medicamenta praescribendi ex magno ingredientium numero conflata, iure meritoque reiecit, aliamque secutus est, regulae antea prolatae consentaneam, vti ex eiusdem medicamentis satis superque apparet.

§. 85.

Basis materia simplex et virtute composita

Fac, medico, basin medicamenti compositi desideranti, duas occurrere bases aeque commode scopo suo satisfacientes, quarum altera tam materia, quam virtute composita, altera vero simplex materia, et virtute composita

posita est, haec prae illa ipsi eligenda est, quoniam ad eum effectum, quem vno assequi potest, impetrandum, non pluribus vti debet §. 84.

alii est praeferenda.

§. 86.

Si medicamentum compositum, cuius basis vel adiuuans, vel corrigens, vel vtrumque sibi iunctum habet §. 79. 80, constituente indiget, medicus, quoniam ad id, quod vno assequi potest, obtinendum, non adhibere debet plura §. 84, curet, vt alterutrum horum inueniri queat tale, quod simul et constituentis vicem impleat, ne praeter necessitatem multiplicentur ingredientia.

Corrigens vel adiuuans tale est eligendum, quod locum constituentis supplet.

§. 87.

Cum, si medicamentum compositum, cuius basis vel adiuuans, vel corrigens, vel vtrumque sibi iunctum habere debet §. 79 80, constituens exigit, horum alterutrum tale sit eligendum, quod simul constituentis vicem implet §. 86, reliqua eiusdem modo dicta ingredientia ita comparata sint necesse est, vt commode inter se commisceri et combinari queant, quo exinde desiderata medicamenti forma exsurgat. Quod enim si non esset, neque adiuuans, neque corrigens constituentis vice fungi posset; id quod repugnat hypothesi.

Ingredientia medicamenti commiscibilia sint necesse est.

§. 88

Formula, quae signis determinat modum praeparandi medicamentum simplex, dicitur simplex, composita vero, quae de-

Definitio formulae simpli-

cis et compositae.

terminat modum praeparandi medicamentum compositum.

§. 89.

Omnis formula est vel simplex vel composita.

Omnis formula signis determinat modum, quo medicamentum fieri debet §. 2. Iam omne medicamentum est vel simplex, vel compositum §. 35. Ergo omnis formula determinare debet modum, quo medicamentum vel simplex, vel compositum sit praeparandum. Nunc formula, quae determinat modum praeparandi medicamentum simplex, audit simplex, composita vero, si determinat modum praeparandi medicamentum compositum §. 89. Ergo omnis formula est vel simplex, vel composita.

§. 90.

Exempla formulae simplicis et compositae.

Exemplum formulae simplicis est:

℞ rad. ialapp. ℈j
F. puluis.

Hoc vero

℞ rad. ialapp.
crem. tartar. aa ℈j
diagryd. sulphur. gr. IV.
ol. de cedro gutt. II.

M. f. puluis, est exemplum formulae compositae.

§. 91.

§. 91.

Omnis formula determinare debet tam materiam, quam formam medicamenti §. 4. 5, hinc etiam tam simplex, quam composita. Corollarium.

§. 92.

Formula, si materia medicamenti ex vno constat ingrediente, hoc vnum ingrediens, et plura ingredientia, si ex pluribus constat, determinare debet §. 9. Quam ob rem formula simplex illud vnum ingrediens, ex quo medicamentum simplex constat, determinare debet, composita vero ista ingredientia, ex quibus medicamentum compositum paratur. Corollarium.

§. 93.

Quoniam omnis formula debet habere subscriptionem §. 11, idem de formula simplici et composita valet. Corollarium.

§. 94.

Omnis formula est vel absoluta, vel relatiua §. 16, hinc et tam simplex, quam composita, est vel absoluta, vel relatiua. Corollarium.

§. 95.

Determinatio formae medicamenti in formula absoluta est tantum determinatio modi medicamentum praeparandi ex data materia §. 10. Quodsi igitur formula tam simplex, quam composita, est absoluta, determinatio formae medicamenti in formula simplici et composita consistet tantum in determinatione Corollarium.

modi, medicamentum ad harum alterutram praeparandi ex data materia.

§. 96.

Corollarium. Determinatio formae medicamenti in formula relatiua, est determinatio modi, medicamentum non solum praeparandi, sed illud etiam adhibendi §. 21. Si igitur formula tam simplex, quam composita, est relatiua, determinatio formae medicamenti in formula tam simplici, quam composita, erit determinatio modi, medicamentum ad harum alterutram paratum non solum praeparandi, sed illud etiam applicandi.

§. 97.

Quid sit subscriptio in formula simplici et composita absoluta. Subscriptio in formula absoluta est tantum determinatio modi, medicamentum praeparandi §. 22. Fac ergo, formulam tam simplicem, quam compositam esse absolutam, tunc subscriptio in formula simplici et composita consistet in determinatione modi, medicamentum ad harum alterutram praeparandi.

§. 98.

Quid sit subscriptio in formula simplici et composita relatiua. Subscriptio in formula relatiua est determinatio modi, medicamentum non solum praeparandi, sed illud etiam adhibendi §. 23. Iam ponas, formulam tam simplicem, quam compositam, esse relatiuam, subscriptio in formula simplici et composita erit determinatio modi, medicamentum ad harum alterutram non solum praeparandi, sed illud etiam applicandi.

§. 99.

§. 99.

Circa formulam tam simplicem, quam compositam, duae occurrunt personae, quae ad istam medicamentum praeparat, atque his tam materia, quam forma medicamenti nota esse debet.

Circa omnem formulam duae occurrunt personae, vna, quae formulam praescribit, et altera, quae ad istam medicamentum praeparat, atque his tam materia, quam forma medicamenti nota sit, necesse est §. 24. Idem valet de formula tam absoluta, quam relatiua §. 25. Qua de re circa formulam quoque simplicem et compositam, siue sit absoluta, siue relatiua, duae occurrunt personae, quarum altera formulam harum alterutram praescribit, altera vero medicamentum ad istam praeparat, atque his tam materia, quam forma medicamenti perspecta sit necesse est.

§. 100.

Circa formulam simplicem et compositam relatiuam tres occurrunt personae.

Circa formulam relatiuam tres occurrunt personae, quarum prima formulam relatiuam praescribit, altera medicamentum ad hanc praeparat, et tertia illud applicat §. 26. Si igitur formula tam simplex, quam composita, est relatiua, circa vtrasque tres occurrunt personae, quarum prima harum alterutram praescribit, altera medicamentum ad hanc praeparat, et tertia illud applicat.

§. 101.

Quatenus pertineat signatura ad formulam simplicem et compositam.

Cum signatura pertineat ad formulam relatiuam §. 10, ad formulam simplicem et compositam eatenus pertinet, quatenus sunt formulae relatiuae.

§. 102.

Corollarium. Quoniam omnis formula est vel magistralis, vel officinalis §. 33, formula simplex et composita erit vel magistralis, vel officinalis.

§. 103.

De necessitate formularum magistralium. Videretur equidem in tanta formularum simplicium et compositarum officinalium affluentia vix, nisi rarius, formulis magistralibus opus esse; sed frequentiorem tamen earum vsum exigunt multae rationes. Sit enim a Medico morbus, quicunque sit, in individuo sanandus, tunc aliqua medicamentorum officinalium eius indicationibus respondent, aut non. Cum iam posterius saepissime euenire soleat, Medicus alia, quam officinalia medicamenta, excogitare cogitur. Iam haec sunt magistralia § 31. Ergo saepissime medicamentis magistralibus opus habet Medicus. Iam formulae, quae docent modum, quo medicamenta magistralia sint praeparanda, audiunt formulae magistrales §. cit. Patet igitur frequentior formularum magistralium necessitas. Sed respondeant aliqua medicamentorum officinalium Medici indicationibus, tunc vel effectum eius indicationibus respondentem producunt, vel non. Posterius iterum saepissime contingit. Medicamenta enim officinalia, vti plerumque, sed minus recte, fieri solet, non debita cum cura, cautione et dexteritate praeparantur, vel, si id fit, nimis diu ad corruptionem vsque asseruantur, vt virtutem

tem suam perdant, vnde iterum medicamentorum formularumque magistralium patet necessitas. Et si vel maxime producant effectum indicationibus Medici respondentem, persaepe tamen euenit, vt aliae accedant rationes externae, quae impediunt, quo minus in vsum vocari queant, vt sunt color, sapor, odor et forma eorum, quae aeger aversatur.

§. 104.

Formula composita determinare debet ingredientia medicamenti compositi §. 92 Fac ergo, ingredientia eiusdem esse vel basin, et simul vel adiuuans, vel corrigens, vel vtrumque, atque constituens, tunc formula composita determinare debet vel basin, et simul vel adiuuans, vel corrigens, vel vtrumque, atque constituens.

Formula composita debet determinare basin, adiuvans, corrigens, vel vtrumque, et constituens.

§. 105.

Cum formula composita determinet modum, medicamentum ex pluribus vno ingredientibus praeparandi §. 34, necessario determinare debet ingredientium proportionem. Quomodo enim determinare possit modum, medicamentum ex pluribus ingredientibus praeparandi, nisi simul eorum proportionem determinet, plane concipi nequit.

Formula composita debet determinare ingredientium proportionem.

SECTIO

SECTIO III.
DE
SVBSCRIPTIONE
ET
SIGNATVRA FORMVLAE.

§. 106.

Specialior pertractatio de subscriptione et signatura.

Multa iam, tum de subscriptione, tum de signatura, in antecedentibus dicta sunt, neque ea hic repetere mihi animus est, sed potius specialiorem pertractationem de subscriptione et signatura aggredior, ea, quae circa eas sunt notanda, comprehendentem.

§. 107.

Subscriptio est tantum determinatio formae medicamenti absoluti.

Subscriptio in formula absoluta est tantum determinatio modi, medicamentum praeparandi §. 22. Iam modus medicamentum praeparandi absoluit formam medicamenti absoluti §. 13. Ergo subscriptio in formula absoluta est tantum determinatio formae medicamenti absoluti.

§. 108.

Subscriptio in formula relatiua est determinatio formae medicamenti relatiui.

Subscriptio in formula relatiua est determinatio modi, medicamentum non solum praeparandi, sed illud etiam applicandi §. 23. Iam modus, medicamentum non solum praeparandi, sed illud etiam applicandi, constituit formam medicamenti relatiui § 13. Ergo subscriptio in formula relatiua est determinatio formae medicamenti relatiui.

§. 109.

§. 109.

Haec, quae demonstraui §. 107. 108, valent tam de formula simplici, quam composita, si sunt vel absolutae, vel relatiuae. Corollarium.

§. 110.

Cum subscriptio in formula absoluta sit determinatio modi, medicamentum praeparandi §. 22, et medicamentum certo modo, quicunque sit, praeparari nequeat, nisi certis operationibus, subscriptio in formula absoluta determinare debet operationes circa modum praeparandi occurrentes. Subscriptio in formula absoluta debet determinare operationes praeparationis.

§. 111.

Si formula absoluta est composita, siue constat ex pluribus ingredientibus tantum permiscendis, hoc indicatur per M. quod significat Misce, dein subscribitur plerumque F. quod significat: Fiat, addito formulae nomine, v. g. Pulvis, Bolus, Pilulae, etc. Si vero formula est simplex, siue, quod idem est, ex vno constat ingrediente, omittitur M. quod significat mixtionem suscipiendam, quoniam non adsunt ingredientia commiscenda. Si tamen praeter miscelam alia insuper desideratur operatio, v. g. conscissio, tusio, digestio, coctio, solutio, etc. haec quoque est designanda, et vel ante, vel post M ponenda, prout miscelam vel praecedere, vel sequi debet. Receptaculi etiam, cui indendum est medicamentum, mentio nonnunquam fit, neque minus obturamenti, si id facile auolantia, aut De signis subscriptionis in formula.

aëre

aëre liqueſcentia ingrediuntur. Illud exprimitur ſic: D. ad vitrum, pyxidem etc. quod ſignificat: detur etc.

§. 112.

Quaenam in modo applicandi praecipue ſunt determinanda.

In modo applicandi medicamentum varia determinari poſſunt, inprimis autem ad ea, quae ſequuntur, eſt reſpiciendum. Nimirum 1) ad eam quantitatem, quae vna vice ſumitur, ſiue ad doſin, 2) ad tempus, quo eſt applicandum, 3) ad vehiculum, 4) ad regimen, ante, ſub et poſt remedii applicationem obſeruandum, 5) ad partem, cui eſt applicandum, 6) ad inſtrumentum, cum quo eſt applicandum.

§. 113.

Quid in ſubſcriptione formulae relatiuae ſit determinandum.

Subſcriptio in formula relatiua determinat modum applicandi medicamentum §. 22. Iam in modo applicandi medicamentum varia occurrunt, quae determinari poſſunt, inprimis vero determinanda ſunt 1) doſis medinamenti applicandi, 2) tempus, quo eſt applicandum, 3) vehiculum, quocum eſt ſumendum, 4) regimen, ante, ſub et poſt applicationem medicamenti obſeruandum, 5) pars, cui eſt applicandum, 6) inſtrumentum, cum quo eſt applicandum §. 112. Ergo ſubſcriptio in formula relatiua ea, quae modo dixi, determinare debet.

§. 114.

Scholion.

In ſubſcriptione formulae relatiuae non in genere determinari poteſt modus applicandi medi-

medicamentum vna cum iis, quae in isto occurrunt, in casu singulari, quoniam ille pro circumstantiarum in eo accedentium, quae variae et infinitae sunt, ratione admodum variat. Sic saepius necesse est, vt subscriptio in formula relatiua designet vehiculum, cum contra in alio casu vehiculi determinatione non opus sit

§. 115.

De diuisione medicamenti in suas doses.

Si medicamentum compositum in suas doses est diuidendum, interdum expedit, Pharmacopoeum sedulo monere, vt doses singulas exactissime faciat aequales. Saepe enim, vt tempori et operae parcat, ad oculum tantum partitionem instituit.

§. 116.

De determinatione vsus medicamenti respectu temporis.

Multi Medici, nescio, qua ridicula opinione capti, in determinando medicamenti vsu, de tempore eligendo nimis sunt solliciti, ita, vt signa coelestia siderumque constellationes consulant, illudque ex his determinent, sed quis non videt, eiusmodi homines superstitione esse captos. Meus interea, dum has scrupulosas temporum determinationes, ex astrologicis obseruationibus extortas, reiicio, animus eo non redit, vt in determinando vsu medicamenti nullam plane temporis habendam esse rationem putem. Haudquaquam, sed potius affirmo, tale tempus esse ad vsum medicamenti eligendum, quod prae aliis maxime aptum est et accommodatum, vt medicamentum effectum suum sanitati proficuum optime exse-

exſerere poſſit. Saepiſſime in praxi occurrunt caſus, in quibus maxime ad hanc regulam eſt attendendum. Sic plerumque matutino tempore, quo ventriculus vacuus eſt, dantur vomitoria, purgantia, laxantia, ſudorifera, etc. et in febribus intermittentibus tempus ante vel poſt paroxyſmum eligitur, quo medicamenta, horum morborum curationi accommodata, applicare iubet Medicus.

§. 117.

De vehiculo. Si vehiculo opus eſt, Medicus tale eligere debet, 1) quod medicamenti adhibendi virtutem neque deſtruit, neque imminuit; quod enim ſi non faceret, finem, quem medicamento intendit, vel plane non aſſequeretur, vel ſaltem non tantum, quantum deſiderat; 2) vehiculum medicamento ipſo adhibendo non debet eſſe ingratius, ne maiorem, quam hoc, moleſtiam creet aegro; 3) aegro nec noxium, nec ingratum, ſed potius 4) morbi indoli aegrique conditionibus accommodatum ſit neceſſe eſt. Ex his, inprimis ex numero ſecundo patet, cur loco vehiculi gratiora, vel ſaltem conſueta vſurpentur, vt vinum, cereuiſia, iuſcula, infuſum Thée, Coffée, prunum maceratum, iulapia, aqua, vel ſimplex, vel deſtillata, et ſimilia. Notandum tamen eſt, in genere determinari non poſſe, quodnam vehiculum in caſu quovis ſingulari conueniat. Hic etenim eſt omnimode determinatus, adeoque infinitae eaeque variae

variae in eo occurrunt circumstantiae, pro quarum diuersitate hoc vel illud est adhibendum vehiculum.

§. 118.

De regimine.

Regimen ante, sub et post remedii applicationem vt determinetur, saepissime absolute est necessarium, quoniam medicamenti actionem pro sua indole mutare, et vel augere, vel minuere, vel plane destruere potest. Quodnam vero regimen in casu quouis singulari conducat, in genere determinari nequit, sed hoc a diuersitate circumstantiarum in casu singulari occurrentium dependet. Facile interea patet, easdem, quas de vehiculo dedi §. 117, circa regimen itidem esse obseruandas, ita, vt 1) medicamenti actionem neque imminuat, neque destruat, 2) aegro neque ingratum, si sine ipsius noxa fieri potest, sit, neque 3) ipsi noceat, sed 4) potius ipsi eiusque conditionibus sit accommodatum.

§. 119.

De signatura.

Quid signatura sit, quod illa doceat modum applicandi medicamentum, formamque medicamenti relatiui, et pertineat ad formulam relatiuam, iam demonstratum fuit §. 27. 28. 29. 30. Nunc specialiorem eius pertractationem aggredior.

§. 120.

De expressione signaturae.

Si signatura in formula est exprimenda, a Medicis receptum est, vt illa indigitetur per S, quod significat: *Signetur*, atque hoc S post subscriptionem ponitur. Apud nos exprimitur illa idiomate vernaculo, et solet a pharmacopoeo chartulae inscribi, illaque medicamenti receptaculo affigi.

§. 121.

Quomodo plura similia medicamenta a se sint discernenda.

Si plura similis formae remedia eidem aegro simul sint exhibenda, singulas per litteras maiusculas A, B, C, etc. vel numeros 1. 2. 3 etc. in fronte vel margine cuiuslibet formulae positos, a se mutuo discerni, haeque ipsae notae dein cuiuis signaturae post literam S adscribi solent. e. g. S. lit. A, vel No. 1. Hoc vero plane non est necessarium, si vnum tantum, vel plura, facile a se inuicem distinguenda medicamenta praescribuntur.

§. 122.

Quando signatura titulum medicamenti docere debeat.

In signatura plerumque medicamenti titulus, ex forma et virtute eius compositus, designari solet; id quod tunc inprimis est necessarium, si applicanti medicamentum nomen eius, siue titulus scitu est necessarius. Signatura enim cum exprimere debeat illud, quod applicanti medicamentum scitu est necessarium §. 27, titulum quoque medicamenti, ex forma et virtute eiusdem compositum, si applicanti scitu est necessarius, vti frequentius id contingit, designare debet.

§. 123.

§. 123.

Exempla de titulo afferuntur.

Sat copiosa dantur de titulo medicamenti, ex forma et virtute eius compositio, exempla, ita, vt multa cuiuis facile in mentem ventura esse credam. Sic v. g haec nomina: Purgierpulver, Brechpulver, Laxiertranck, sunt tituli medicamentorum ex forma eorundem et virtute compositi.

§. 124.

Quaenam in titulo medicamenti vitanda sint.

In designando medicamenti titulo euitanda inprimis est circulatoria ostentatio, nimiaque prolixitas, nec sesquipedalia et hyperbolica adhibenda sunt epitheta, ad medicamentum summis laudibus extollendum. Risum haec mouent intelligentibus, ludibrioque exponunt Medicum, quamuis plebem capiant. Tituli: Herzverwahrendes Pulver, unvergleichliche Goldtinctur, Solar- und Vitalpulver, resolvirende und zertheilende, schmerzlindernde und lustmachende antispasmodische Mixtur, exemplo inseruire possunt, reliquos vt taceam titulos magis ridiculos.

§. 125

Signatura determinat ea, quae in modo applicandi medicamentum sunt determinanda.

In modo applicandi medicamentum inprimis determinari debet, si opus est, 1) dosis eius, 2) tempus, quo est applicandum, 3) pars, cui est applicandum, 4) vehiculum, 5) regimen, 6) instrumentum, quo est applicandum §. 113. Iam signatura, cum doceat modum applicandi medicamentum §. 28, determinare debet ea, quae in modo applicandi,

di medicamentum sunt determinanda, hinc etiam ea, quae inprimis determinari debent, si opus est, et iam recensita sunt.

§. 126.

Scholion. Consulto dixi, quod, si opus sit, in modo applicandi medicamentum, determinari debeat dosis etc. §. 125. quoniam ea, quae in quovis casu singulari, respectu modi applicandi medicamentum, sunt determinanda, in genere determinari nequeunt. Patet praeterea ex §. 125. collato cum §. 113, signaturam cum subscriptione in formula relatiua conuenire, et ab ea in eo tantum differre, quod lingua exprimi soleat vernacula §. 120.

§. 127.

De dosi in signatura. Si dosis in signatura est exprimenda, haec per eiusmodi debet designari quantitates, quae aegro vel adstantibus cognitae, nec determinatu difficiles sunt, vt per cochlearia, cyathos, digitabulum, nucis magnitudinem, guttas, etc. Sic v. g scribi solet:

Pulver, davon auf einmal eine Messerspitze voll zu nehmen.

Mixtur, davon auf einmal ein Löffel voll zu nehmen.

Si vero exactissima requiratur dosis, hoc pharmacopoei potius industriae est committendum, vt hic remedium in suas doses iam distributum exhibeat.

§. 128.

§. 128.

Vehiculum in signatura aeque ac dosis germanico solet exprimi idiomate, e. g. De vehiculo in signatura.

Pulver, mit Wasser zu nehmen.

Magentropfen, so gleich nach Tische im Wein einzunehmen.

§. 129

Regimen et tempus, quo medicamentum est adhibendum, si determinanda sunt, ita designari solent, v. g. De regimine et tempore in signatura.

Brechpulver, darauf warm Bier, oder Habergrütze zu trincken.

Pulver, dabey der Schweiß abzuwarten.

Fieberpulver, eine Stunde vor dem Paroxysmo zu nehmen.

Purgierpulver, frühe zu nehmen.

SECTIO IV.

DE QVANTITATE MEDICAMENTORVM.

§. 130.

Omne medicamentum habet quantitatem.

Omne, quod existit, determinatam habet quantitatem (per princ. philos.). Hinc omne medicamentum determinata quantitate gaudeat necesse est.

§. 131.

Medicamentum absolutum et relativum habet quantitatem.

Omne medicamentum determinatam habet quantitatem §. 130. Iam medicamentum est vel absolutum, vel relatiuum §. 12. Ergo medicamentum, tam absolutum, quam relatiuum, quantitatem habere debet.

§. 132.

Quantitas medicamenti absoluti, qua talis, est indeterminata.

Medicamentum absolutum est, quod sanitati conducere potest, sed in quo modus applicandi non est determinatus §. 12 Quare cum haec notio nihil contineat, quod rationem determinatae cuiusdam quantitatis eius complectatur, quantitas medicamenti absoluti, qua talis, indeterminata est, adeoque, si determinari debet, ex rationibus extrinsecis determinanda.

§. 133.

§. 133.

In medicamento relatiuo modus illud applicandi est determinatus §. 12. Cum vero medicamentum relatiuum applicari nequeat, nisi in determinata quantitate, quae semel est sumenda, haec quantitas etiam ad modum illud applicandi pertinet. Iam modus applicandi in medicamento relatiuo est determinatus §. cit. Ergo in medicamento relativo, qua tali, quantitas eius, quae semel, seu vna vice est sumenda, determinata esse debet. In medicamento relatiuo quantitas eius, quae semel sumenda, determinata esse debet.

§. 134.

Quantitas medicamenti relatiui, quae vna vice sumenda est, *dosis* eiusdem vocatur, quantitas vero dosis appellatur *moles dosis*. Definitio doseos et eiusdem molis.

§. 135.

In medicamento relatiuo quantitas eius, quae vna vice est sumenda, determinata esse debet §. 133. Iam quantitas medicamenti relatiui, quae vna vice sumenda est, dicitur dosis §. 134. Ergo in medicamento relatiuo dosis eiusdem determinari debet. In medicamento relatiuo dosis eius determinata esse debet.

§. 136.

Dosis est quantitas medicamenti relatiui, quae vna vice est sumenda §. 134, adeoque est quantitas medicamenti relatiui, quae in eo in relatione ad modum applicandi concipitur. Sed cum omne medicamentum, et absolutum quoque, quantitate gaudeat §. 130. 131, medicamentum relatiuum, qua medicamentum in genere, quantitatem habere debet. Quapropter Quo respectu quantitas medicamento relatiuo competat.

pter quantitas medicamento relatiuo duplici respectu competit, vel in relatione ad modum applicandi, vel non.

§. 137.

Definitio quantitatis generalis et specialis.

Illa quantitas, quae medicamento in relatione ad modum applicandi competit, dicitur quantitas specialis, haec vero, quae ipsi non competit in relatione ad modum applicandi, quantitas generalis.

§. 138.

Quantitas medicamenti relatiui specialis est dosis eius.

Quantitas specialis medicamenti relatiui est illa quantitas, quae medicamento relatiuo in relatione ad modum applicandi competit §. 137. Iam illa quantitas, quae medicamento relatiuo in relatione ad modum applicandi competit, est quantitas medicamenti relatiui, quae vna vice est sumenda §. 133, et haec dicitur dosis §. 134. Ergo quantitas specialis medicamenti relatiui est dosis eiusdem.

§. 139.

Quantitas medicamenti absoluti est generalis.

Quantitas medicamenti absoluti est indeterminata § 132, adeoque ipsi non competit in relatione ad modum applicandi. Iam illa quantitas, quae medicamento non competit in relatione ad modum applicandi, dicitur quantitas generalis §. 137. Ergo quantitas medicamenti absoluti est quantitas generalis.

§. 140.

Quaenam in dosi spectanda veniant.

Quantitas specialis medicamenti relatiui est dosis eiusdem §. 138. In hac duo spectanda veniunt, nimirum 1) ipsius quantitas, 2) nu-

2) numerus, quoties est applicanda. Iam illa dicitur moles dosis §. 134. Ergo circa dosin numerus et moles eius spectanda veniunt.

§. 141.

Molem *dosis* determinant variae conditiones, vel circa medicamentum adhibendum, vel subiectum, cui applicandum est medicamentum, occurrentes. Hae Medico probe sunt ponderandae, ne excessu vel defectu peccans, remedio etiam apte selecto aut noceat, aut finem, quem intendit, vel plane non, vel saltem non tantum assequatur, quantum desiderat.

Ex quibus moles dosis determinatur.

§. 142.

Moles dosium debent esse proportionatae viribus corporis humani; seu vti sunt vires corporum humanorum, ita quoque debent esse moles dosium, siue vires medicamentorum. Quomodocunque enim operentur medicamenta, in vires corporis semper agunt. Maior ergo moles dosis, quam vires corporis admittunt, corpus laedit, et si minor dosis moles est, quam vires corporis requirunt, vis medicamenti non sufficit ad operationem, quae desideratur, edendam, quoniam illa a corporis viribus eneruatur.

Dosis medicamentorum esse debent proportionatae viribus corporis.

§. 143.

Vires corporis humani per omnem aetatem non eandem habent quantitatem, sed pro huius diuersitate sunt vel maiores, vel minores.

De incremento et decremento virium.

res. A primo conceptionis puncto, quo vivere incipit tenellus embryo, et post natiuitatem, eius vires semper crescunt, vsque dum ad vigorem, seu constantem aetatem, peruenerit, tunc aliquamdiu subsistunt, postea vero accedente senio decrescunt. Deinde notamus et illud, vires et robur corporis, quo propius est ortui, eo velocius crescere, et post consistentem aetatem paulatim decrescere. Quae cum ita sint, istum virium progressum nobis possumus concipere tanquam compositum ex incremento et decremento, ita, vt vires crescant et decrescant, ea tamen conditione, vt a primo ortu velocius, deinceps vero tardius paulatim crescant, et contra a primo ortu tardius, deinceps paulatim velocius decrescant.

§. 144.

Quomodo doses aetatibus accommodandae sint.

Cum moles dosium debeant esse vt vires corporum humanorum §. 142, moles dosium, si aetatibus sunt accommodandae, debent eandem, quam vires seruant, progressionem seruare. Non vero licet doses assumere in ratione annorum aetatis, quoniam vires initio velocius crescunt, deinde tardius, post consistunt, denique decrescunt §. 143; anni autem aetatis aequabiliter semper crescunt.

§ 145.

§. 145.

Haec, quae de incremento et decremento virium, ratione aetatis, dixi §. 143, sunt intelligenda de corporis statu naturali. Cum vero multae eaeque variae, quamdiu corpus humanum viuit, in id agant causae, quae vires eius certae aetati naturaliter proprias mutent, easque vel augeant, vel imminuant, patet, vires corporis humani viventis, si praeternaturales causae in id agunt, respectu aetatis non eandem, quam descripsi §. 143, proportionem seruare. Sic e. g. corpus hominis, in quo puero vires solita proportione creuerunt, potest, postquam iuuenis factus est, a variis causis praeternaturalibus ita mutari, vt vires in proportione aetati iuvenili naturaliter propria non amplius crescant. Scholion.

§. 146.

Ex his, quae §. 145. dixi, cuiuis facile Scholion.
erit iudicatu, quid sentiendum sit de *Domini Doctoris* THEODORI BALTHASARIS, Medici matheseos perfecte gnari, inuentione, qua lineae curuae beneficio moles dosium cuivis aetati proprias determinauit, et quae in eiusdem *diatribe de dosibus medicamentorum*, §. 444. reperitur. Hic considerans ea, quae de proportione, qua vires corporis respectu aetatis crescunt et decrescunt, dicta sunt §. 143, inuenit exinde algebrae ope curuam, per cuius

ius abscissas aetates, per applicatas vero vires corporis vel, quod perinde est, doses medicamentorum exponuntur, et quae eam habet proprietatem, vt applicatae crescant, et quidem initio velocius, deinde tardius, post maximam vero applicatam paulatim iterum decrescant, dum interim abscissae progressionem numerorum naturalem seruant. Sed, si meum hac de re ferre licet iudicium, non possum non confiteri, ea, quae Vir modo laudatus de determinanda mole dosium respectu aetatum protulit, non constanter obtinere, et multis obnoxia esse exceptionibus. Ille igitur nec satis prudenter, nec satis sollicite ageret, qui dosin medicamenti cuiusdam, pro individuo in certa aetate constituto, tantummodo ex linea curua BALTHASARIS determinare vellet, nulla reliquarum circa individuum occurrentium circumstantiarum ratione habita; quemadmodum etiam ille inique ageret, qui determinationem dosium respectu aetatis plane reiicere, eamque in praxi inutilem declarare vellet. Multis rationibus eius vtilitatem in praxi comprobare possem, sed sufficiant testimonia Medicorum artis exercitio magnam famam consecutorum, vt celeberrimi GAVBII et IVNCKERI. Ille in libello suo, de *methodo concinnandi formulas medicamentorum* §. 64. γ. inquit: *in determinanda mole doseos aetatis ratio habenda est;* hic autem in *conspectu formularum medicarum* p. 4.

doseos

doſeos molem pro aetatis ratione determinauit. Pone itaque, doſin efficacem eſſe pro homine conſiſtentis aetatis 1 vel Drachm. i, ſic erunt pro ann. XIV-XXI $\frac{2}{3}$ vel Scrup. ij.

VII - XIV $\frac{1}{2}$ vel Drachm. ß.
IV - VII $\frac{1}{3}$ vel Scrup. j.
IV — — $\frac{1}{4}$ vel Gran. XV.
III — — $\frac{1}{6}$ vel Scrup. ß.
II — — $\frac{1}{8}$ vel Gran. VIII.
I — — $\frac{1}{12}$ vel Gran. V.

§. 147.

Porro in determinanda doſeos mole reſpiciendum eſt ad diſpoſitionem aegri vel adhibentis ſingularem primario morbo complicatam. Eſt autem naturalis, vel praeternaturalis, vel temporaria, vel perpetua, et a conformatione, habitu corporis, ſexu, morbis praegreſſis aliisque cauſis dependet. Sic nauſea iuuat et promouet vomitum, ideoque nauſeabundi, et quibus alias familiares ſunt vomitiones, exigua emeticorum doſi ad vomendum irritantur. Si adſit diſpoſitio ad diarrhoeam, vel alui lubricitas, ea ipſa quoque promouet medicamentorum purgantium operationem. Quando adeſt diatheſis ad ſudorem, ſudorifera validius agunt, quam alias, vbi talis diſpoſitio abeſt. Sicubi adfuerit propenſio ad ſomnum, opiata, papauerina et alia hypnotica, parca doſi exhibita, ſomnum facilius inducunt. Moles doſeos determinatur ex diſpoſitione ſingulari aſſumentis.

§. 148.

§. 148.

Moles dosis ad idiosyncrasiam est accommodanda.

Ad idiosyncrasiam insuper adhibentis in determinanda dosi mole est attendendum, qua efficitur, vt in aliquibus quaedam medicamenta neutiquam illum effectum edant, quem alias ordinarie edere solent. Sic reperiuntur, qui pharmacis vomitoriis et purgantibus, etiamsi validiora sint, vel parum vel plane non mouentur; cum contra alios eorum adspectus vel odor moueat. Hic vero caute est procedendum. Nec enim vtile est, nec prudenter actum, eo vsque augere dosin, quousque ea ad vincendam resistentiam sufficere putatur, sed res potius maiori cum cautione et feliciori successu, stimulorum salinorum additamento, expediri potest.

§. 149.

Consuetudo variat molem dosis.

Consuetudo pariter hic locum habet; quum eorum, quibus natura adsueuit, dosis maior plerumque lenius agat, quam minor insuetorum. Sic qui opium saepius in vsum vocant, sensim sensimque maiorem eius dosin ferre discunt, atque idem Nicotianae vsus exemplo vbiuis obuio commonstrat.

§. 150.

Molis et temperamenti corporis in determinanda dosi ratio est habenda.

Moles pariter corporis, licet viribus non semper sit proportionata, doseos molem nonnunquam variat. Temperamentum etiam hic limites figit. Cholericus ab eadem medicamenti, quod fortius agit, dosi, quae phlegmaticum vel melancholicum parum mouet, longe

longe maiores, quam horum alteruter, experitur effectus. Des enim cholerico, phlegmatico, vel melancholico, eandem purgantis vel vomitorii quantitatem, et gradu diuersos secuturos esse effectus deprehendes. Humectantium, refrigerantium, relaxantium maiorem plerumque dosin facile ferunt cholerici et melancholici; laeduntur a minore etiam quantitate contrariorum, quae tamen, maiore licet dosi applicata, phlegmaticis vtplurimum bene conducunt.

§. 151.

Sexus et victus in determinanda mole doseos sunt considerandi.

Sexus item huc facit. Foeminarum constitutio, quae virorum structura tenerior est, dosin postulat minorem, quin delicatulae paulo maiorem nonnunquam respuunt medicamenti quantitatem, si vel maxime necessaria sit. Nec vitae genus plane est praeterundum, vtpote quod varias corporibus inducit habitudines, medicamentorum dosin vel maiorem, vel minorem exigentes. Sic victus durus, diu continuatus, ceteris paribus ita mutat corpora, vt longe facilius maiores medicamentorum vehementius operantium doses ferant, quam illa, quae victu molli vtuntur.

§. 152.

Clima determinat molem doseos.

Nationes in certo climate habitantes respectu doseos medicamentorum peculiare quidpiam sibi vendicant. Incolae regionum septentrionalium, vt Russi, Sueci, Dani, Norwegi, a medicamentis fortioris operationis diffi-

difficilius mouentur. Exemplo sunt purgantia, vomitoria, aliaque, quae, si debitum exserere debent effectum, his gentibus maiori dosi, quam nostratibus, sunt propinanda. In huius phaenomeni causam, cum spatii angustia non permittat, nec inquiram, nec plura hac de re proferre necessarium existimo, cum ea solidissime pertractata inueniantur in Dissertatione *Illustris Domini* BÜCHNERI, *de differentiis naturarum respectu climatum.*

§. 153.

Anni tempus variat dosin medicamentorum.

Neque minus anni tempus in determinanda medicamentorum dosi est spectandum. Ardentior enim Sirius, saeuiens gelu, aura temperatior, corpora maiori vel minori medicamentorum dosi vt moueantur, suadeant.

§. 154.

Scholion.

Ex iis, quae hactenus dixi, satis superque apparet, permulta et varia esse, ad quae in determinanda medicamentorum dosi est respiciendum. Equidem non omnia omnino huc pertinentia me attigisse et scio et lubens confiteor, sed spero, neminem a me desideraturum esse, vt ad vnam omnes circumstantias, quarum in determinanda medicamentorum dosi ratio habenda est, hic allegem, nec hoc facere possum, cum plura supersint magis necessaria a me pertractanda. Sufficiat, me attigisse praecipuas et saepissime occurrentes, ex quibus dosis medicamentorum est determinan-

minanda, conditiones, et adhuc reliquas non leuioris momenti esse contemplaturum.

§. 155.

Si quis medicamentorum virtutem ad conditiones, quae in determinanda dosium mole obseruandae, et in antecedentibus probatae sunt, comparat, deprehendet, varias easque nouas iterum occurrere circumstantias, dosin medicamentorum vario modo determinantes, ad quas est respiciendum. Qua de re Medicus, ex arte formulam praescripturus, vsitatiorum quorumuis medicamentorum, generosiorum inprimis, doses efficaces, per experientiam legitime stabilitas, harumque gradus exacte cognitos et perspectos habeat necesse est. Quod enim si ignorat Medicus, quomodo in casu quodam singulari dosin medicamenti determinare possit, concipi plane nequit. Si qua autem noua, non dum rite explorata, vsurpare ipsi placuerit, illis summa cum prudentia vtatur, ne famae incurrat periculum, hinc solito minori dosi experimentum capiat, eamque, animaduersa eius inertia, circumspecte deinde augeat.

Medicus nosse debet doses efficaces medicamentorum.

§. 156.

Interdum pretium medicamenti, quod ceteris paribus non adeo magnae efficaciae est, dosin maiorem, quae adhiberi posset, non permittit. Margaritae, gemmae, lapis porci, bezoar, etc. exemplo hic inseruire possunt. Specifica etiam leuitas medicamenti

Pretium, specifica leuitas et iniucunditas medicamenti dosin

eius determinat.

adhibendi, quod in maiore tantum dosi adhibitum effectum edit desideratum, de dosi ordinaria detrahit, ne eius moles nimia simul ingerenda nauseam producat. Neque minus medicamenti adhibendi iniucunditas, ratione odoris, saporis, vel alterius qualitatis, parciorem eius dosin postulat, vti id vsus asae foetidae, castorei, pinguium aliorumque docent. Suppono hic vtique circumstantias, quae requirunt, vt medicamenta modo dicta in ea vsurpentur forma, qua eorum iniucundae qualitates non ex parte saltem corrigi, sed penitus sentiri possunt.

§. 157.

Applicatio medicamentorum determinat eorum dosin.

Prout idem medicamentum vel externe, vel interne applicatur, pro eo etiam eius dosis determinatur. Nec deerunt haec cogitantibus exempla illud probantia. Mihi in mentem incidunt camphora, crocus, flores sulphuris, balsamus de copaiua, peruuianus, Hoffmanni, aliusque liquidus, vsui tam interno quam externo aptus, oleum terebinthinae, essentia myrrhae, succini, mastiches, balsami Peruuiani. Haec omnia, supposita respectu quorundam parte, in quam agunt, minus sensili, si debita cum cautione externe applicantur, maiorem admittunt dosin, quam si interne adhibentur. Quid? quod eadem medicamenta, ea praesertim, quae calidae, spirituosae ac efficacioris indolis sunt, si ad diuersas corporis partes externas sunt applicanda,

canda, inaequalem exposcunt dosin, minorem, si pars, cui sunt applicanda, magna gaudet sensatione, maiorem, si minus est sensilis. Nec parum interest discriminis, vtrum laxans, quod aptum esse suppono, vt tam ore assumi, quam clysteris ope corpori ingeri queat, ore hauriatur, an clystere iniiciatur.

§. 158.

Pertractationis de dosibus specialis ratio.

Cum Medicus efficaces vsitatorum, generosiorum inprimis medicamentorum doses, per experientiam legitime stabilitas, nosse debeat, si formulam ex arte praescribere vult §. 155, me non inutilem laborem susceperturum esse, quilibet facile iudicare potest, si medicamentorum, quae frequenter adhibentur, et eorum etiam, quae dicuntur heroica, siue generosiora, doses efficaces ordinarias, secundum *illustris* HOFFMANNI, Praeceptoris mei pie defuncti, cuius adhuc cineres veneror, obseruationes ea, qua ab illo percepi, sinceritate hic tradam. Nec destituor rationibus meum propositum approbantibus, meque determinantibus, cur id hoc potius, nec alio modo prosequar. Partim enim id eam ob causam feci, quoniam dosis medicamentorum ex experientia et obseruationibus est determinanda, et *illustris b. m.* HOFFMANNVS ex longo, qui ipsi fuit in praxi medica, vsu, amplam sibi comparauit experientiam, ac permultas obseruationes, partim vero, ne lectores medicamentorum vsitatorum et generosiorum doses

alibi frustra quaerant, vel saltem non satis accurate per experientiam stabilitas.

§. 159.

De medicamentis heroicis.

Per heroica, siue generosiora medicamenta, intelliguntur illa, quae in minori dosi adhibita, magnum edunt effectum, atque ad haec a Medicis referuntur purgantia drastica, emetica, opiata, narcotica, ex mercurio praeparata, et alia.

§. 160.

De dosi emeticorum.

Dosis emeticorum

I. Regni vegetabilis, in quo occurrunt radices

1) asari, cuius puluis robustiori corpori non dari debet vltra ℥j. sed saepius dimidia sufficit.

2) hellebori albi, cuius extractum propinatur ad ℈j.

3) ipecacuanhae, quae datur in puluere a granis XV. ad ℈j - ℥ß - ℥j.

4) squillae, cuius oxymel ab vncia vna pro infantibus praescribitur.

II. Regni mineralis

a) *ex antimonio*

1) *tartari emetici ex croco metallorum praeparati*, qui in puluere ab octaua grani parte ad 1. 2. 3. 4. grana datur. Infans ab huius tartari emetici grani vnius parte quarta

ta moueri poteſt. Ille vero tartarus emeticus, qui ex vitro antimonii praeparatur, propter vehementem operationem non amplius nunc vſurpatur. Huius enim granum vnum aeque vehementer agit, ac grana duo vel tria tartari emetici ex croco metallorum confecti.

2) *reguli antimonii medicinalis* a granis VI. ad ℈ß vel ℈j.
3) *ſulphuris antimonii aurati* a granis ij. ad VI.
4) *aquae benedictae Rulandi* ʒß - ʒj.
5) *oxyſacchari emetici Angeli Salae* ʒij - ʒß.
6) *oxyſacchari emetici Ludouici* ʒij - ʒß.
7) *ſapae vomitoriae Syluii* ʒj - ʒß.
8) *vitri antimonii* a granis ij. ad IV vsque.
9) *croci metallorum* a granis ij. ad VI.
10) *mercurii vitae* grana ij - iij.
11) *infuſorum antimoniatorum quorumcunque* ʒj. Notandum vero, quod vitrum antimonii, crocus metallorum, mercurius vitae, ob vehementem, quam edunt, emeticam operationem, plane non exhibeantur a Medicis prudentibus, et quod tutius ſit, ab illorum vſu plane abſtinere. Videatur *Illuſtris*

b. m. HOFFMANNVS *in Med. Syſtemat. Tom. III. Sect. II. cap. V. p. m. 482.*

b) *Ex mercurio.*

1) *turpethi mineralis* gr. ij.

2) *auri vitae Kepleri* pauca grana. Sed haec ex mercurio praeparata vomitoria minus tuta ſunt et ſecura, ideoque ab eorum vſu abſtinent Medici prudentes.

§. 161.

De doſi purgantium draſticorum

Doſis purgantium draſticorum

1) *bryoniae* ℥j - ℥ij. infuſi ℥ij. ſucci ℥j.

2) *carthami ſeminis* ℥j - ℥ij.

3) *cataputiae* grana VI.

4) *colycynthidis* ∋ſſ, extracti eius grana IV - VI.

5) *elaterii nigri* grana XXV. *albi* gr. j - ij.

6) *ellebori nigri* grana iij - IV extracti eius gr. V.

7) *eſulae extracti* grana ij - iij.

8) *gratiolae herbae* infuſi ℥ſſ. In ſubſtantia datur, teſte *Excellentiſſimo b. m.* SCHVLZIO, in *theſibus ſuis de materia medica* p. 158. a ſcrupulo vno ad drachmam vnam.

9) *gummi guttae* a granis V. ad XII. Sed poſterior doſis eſt maxima et quadrat pro hydropicis, alias grana VI. ſufficiunt.

10) *ia-*

10) *ialappae reſinoſae* radicis ℈j - ℈ij. reſinae eius gr. ij - IV.
11) *iridis Florentinae* ℈ß. Grana ij - IV ſufficiunt pro infantibus.
12) *iridis noſtratis* ʒj. infantibus gr. ij - iij.
13) *mechoacannae* ℈j - ʒj.
14) *ſoldanellae* grana XV - ℈j. *Excellentiſſimus* vero *b. m.* SCHVLZIVS *in theſibus ſuis de materia medica* p. 109. aſſerit: dari puluerem *ſoldanellae* ad ʒj, eamque pro decocto ad manipulum vnum vel vnciam vnam praeſcribi.
15) *ſcammonei* grana XV - ℈j. reſinae eius grana ij - IV.
16) *turpethi vegetabilis* ʒß. reſinae eius ℈ß - gr. XV.
17) *diagrydii ſulphurati* grana IV - ℈ß.
18) *auri fulminantis* gran. j - VI.
19) *trochiſcorum albandal* gr. ij - iij.

§. 162.

Laxantium doſis largior eſſe poteſt. Manna ad tres vncias dari poteſt, tamarindi in decocto ad vncias duas, immo tres, agaricus in infuſo ad drachmam vnam et dimidiam, rhabarbarum in puluere a drachma vna vsque ad drachmam vnam et dimidiam, in infuſo ad vnciam dimidiam, folia ſennae, quae raro ſub puluueris forma adhibentur, in infuſo a drachmis duabus vsque ad vnciam dimidiam propinantur. Extractum aloës pro doſi vltra ſcru- De doſi laxantium.

pulum dimidium non est exhibendum, ob vehementem, quem in humoribus, plethoricorum praesertim, concitare solet, orgasmum, et salia neutra, vt tartarus vitriolatus, cremor tartari, sal gemmae, Anglicanum, Ebshamense, Egranum, Sedlicense, Carolinense, digestiuum Syluii, arcanum duplicatum, borax Veneta, magnesia, etc. si laxandi vel purgandi fine sunt adhibenda, vsque ad vnciam vnam praescribi possunt, dummodo sufficiente aquae quantitate diluta fuerint.

§. 163.

De dosi sudoriferorum.

Inter sudorifera indolis efficacioris, quae frequentius vsurpantur, eminent spiritus et salia volatilia ex partibus animantium parata, vt spiritus cornu cerui simplex, succinatus, eboris, bezoardicus Bussii. Qui si probe praeparati fuerint, sufficiunt pro dosi guttae quadraginta. Salia vero volatilia animantium sudorifera, quorum praecipua et vsitatiora sunt, sal volatile cornu cerui et sal volatile oleosum Syluii, longe minorem, si vsurpanda sunt, exigunt dosin. Decem enim grana eorum, vel scrupulus vnus pro dosi, valde movent sudorem, si cum regimine dentur. Oleum cornu cerui, vel oleum tartari foetidum, potentia sunt sudorifera, si soluantur in spiritu vini, ita, vt pro dosi guttae tres vel duae sufficiant. Tincturae sic dictae alexipharmacae et bezoardicae pro dosi ad guttas quinquaginta porriguntur.

§. 164.

§. 164.

Quod attinet ad diuretica iisque ratione dosis vtendi modum, haec multum variat, prout nempe efficacia differunt, et vel mitiora, vel vehementiora in vsum vocantur. Ad vehementiora pertinent inprimis cantharides et millepedes, quae salutarem exserunt, in hydrope inprimis et anasarca, efficaciam, eorumque pulueres vltra grana duodecim exhiberi non solent. Tinctura antimonii acris sat fortiter etiam vrinam mouet, sufficitque eam pro dosi a guttis quadraginta ad quinquaginta, cum sufficienti liquido, dare. Varia ex lapidibus et conchyliis vsta, validam quoque vrinam pellendi facultatem et acrimoniam possident, atque ideo non larga dosi praescribuntur. Sumuntur commode de his grana decem cum vehiculo aqueo demulcente, vt sero lactis, quod omnium optimum hoc fine est vehiculum. Neque minus oleum destillatum iuniperi, terebinthinae, balsami sulphuris, vt balsamus sulphuris terebinthinatus, iuniperatus, fortiter mouent vrinam, et de his guttae decem pro vna vice suffieiunt. Tinctura tartari, essentia pimpinellae albae et succini, liquor terrae foliatae tartari, quae vsitatiora sunt diuretica, si sub guttarum forma sunt adhibenda, pro dosi dantur a guttis triginta ad quadraginta, immo vltra. De dosi diureticorum.

§. 165.

De dosi salium.

Salia media, praeter stimulum, quem in partibus solidis efficiunt, et effectus exinde prouenientes, qui in vegetiori eorum actione, motus humorum, secretionum et excretionum augmento, consistunt, fluida viscida et spissa resoluunt atque abstergunt, vnde summa eorum abunde patet vtilitas. Diuerso adhiberi possunt scopo, et pro eo etiam eorum dosis variat. Si finis est aluum aperiendi, ab vncia dimidia vsque ad vnam adhiberi possunt, alias pro dosi drachma dimidia vel vna sufficit, immo minor interdum quantitas pro vna vice sumenda requiritur, si subiecta sensibilia sunt et spasmis obnoxia. Ad salia inprimis alcalina fixa, ex vegetabilibus per incinerationem parata, quod attinet, ad alterandos humores in primis viis maiori vel minori dantur dosi. Si acidorum in primis viis adest abundantia, vt in hypochondriacis, melancholicis, iisque, qui victu vtuntur acido, ea maiori quantitate, vt a drachma dimidia ad vnam, immo vltra, pro accidentium differentia, assumere licet. Si vero ventriculus magna praeditus est sensatione, bilisque iusto maiori in primis viis haeret copia, minori potius quantitate, vt a granis sex vsque ad duodecim, praescribi debent. Si viscera laxa et debilia sunt ac obstructionibus obsessa, vt in cachexia, chlorosi, leucophlegmatia, hydrope eiusque specie, anasarca, aliisque morbis, maiori

maiori etiam quantitate et repetitis vicibus adhiberi possunt.

§. 166.

De dosi nitri.

Nitri vis refrigerans, attenuans, et excretiones per aluum et vrinam promouens, spasmos sanguinisque commotiones orgasticas sedans, satis nota est, ideoque vlteriori hic non eget probatione. Si itaque nitrum fine aluum aperiendi et vrinam pellendi praescribitur, largior eius potest esse dosis, quae tamen vltra drachmam dimidiam non est extendenda. Alias refrigerandi scopo grana decem, cum aliis aptis remediis mixta, sufficiunt, sed opus est continuatione eiusmodi remedii.

§. 167.

De dosi spirituum acidorum mineralium.

Quod attinet ad spiritus acidos minerales dulcificatos, vt spiritum vitrioli, salis communis et nitri dulcem, fructu suo non destituuntur, dum appetitum ciborumque digestionem promouent, spasmos demulcent, quem effectum inprimis spiritus nitri dulcis edit, atque aestum temperaat. A guttis quadraginta vsque ad sexaginta possunt exhiberi.

§. 168.

De dosi hypnoticorum et narcoticorum.

Peruenio nunc ad hypnotica et narcotica, inter quae opium et ea, quae ex opio praeparantur, primas tenent. Horum dosis caute est determinanda, ne plus damni, quam emolumenti afferant. In iis, in quibus vires languent, praestat penitus ab iis abstinere. Si vero necessitas vrget, vt motus et excretiones

nes nimis auctae compescantur, dolores sedentur, somnusque ac placida quies inferatur, opii probe depurati dosis granum dimidium et ad summum vnum transgredi non debet. Neque laudana opiata, inprimis valde inspissata, vltra grana quatuor propinare licet, sed praestat semper minorem, quam hanc, praescribere quantitatem, quamuis de laudano liquido Sydenhami guttae decem ad viginti et viginti quinque, vna vice propinentur. Rarius opium solum, sed tutius correctum vsurpatur. Corrigitur vero, vti facile est collectu, cum virtus eius in sistendo motus et sensationes consistat, per ea, quae contrariam possident virtutem, hoc est, quae virtute gaudent motus et sensationes augendi, qualia sunt analeptica, et inter haec praecipue balsamica, purgantia, emetica, diuretica, alexipharmaca et sudorifera. Sic opium in *theriaca Andromachi*, *coelesti*, *mithridatio*, *electuario diascordio Fracastorii*, corrigitur additamento balsamicorum, sic dictorum alexipharmacorum, et carminatiuorum, *in pilulis Starckeyanis polychrestis* per purgantia et diuretica, *in pilulis Wildeganſii* per emetica et balsamica, *in pilulis de cynoglossa* per aromatica.

§. 169.

Continuatio de dosi opiatorum.

Pilulae Wildeganſii numero tres, quatuor, vel quinque, pro dosi sufficiunt, et *Starckeyanae* identidem ad grana octo vel decem vsur-

vsurpantur. *Electuarium diascordium Fracastorii*, *mithridatium*, *theriaca Andromachi*, ad drachmam dimidiam, immo et paulo vltra in robustioribus licet offerre. Mitiora vero anodyna, qualia sunt ea, quae ex papavere albo et nigro parantur, liberaliori adhibentur quantitate. Sic semen papaueris albi et nigri in emulsionibus a drachma vna ad duas pro dosi exhibere licet. Crocus, qui etiam virtute anodyna et sopiente gaudet, atque in pectoris affectibus non contemnendam praestat vtilitatem, in puluere ad grana sex et octo dari potest, in extracto a tribus granis vsque ad quatuor. *Pilularum de styrace*, ad tussim sedandam aliasque catarrhales molestias curandas, *de cynoglossa* ad moderandas nimias sanguinis fluxiones, vsus nostro tempore est crebrior, sed earum etiam dosin moderari conuenit. *Massa* enim *pilularum de cynoglossa*, praeter opium, semen etiam hyoscyami, narcoticae virtutis, complectitur, hinc eas rarius et non nisi ad grana duo vel tria pro vna dosi praescribere conuenit; sciendum tamen, alios eas ad scrupulum dimidium propinare. Idem sentiendum est de pilulis de styrace. Sunt enim itidem valde opiatae, ita vt in quolibet scrupulo duo grana opii contineantur, quare vltra dimidium scrupulum progredi non licet.

§. 170.

§. 170.

De dosi roborantium.

Inter roborantia maxime eminent cortex chinae, cascarillae, et quae ex ferro praeparantur, et neminem fore dubito, qui non necessarium existimet, vt conueniens eorum dosis quoque determinetur, praesertim cum cortex chinae, rite adhibitus, primum inter specifica antifebrilia occupet locum, cortex vero cascarillae, legitime vsurpatus, egregia et singulari efficacia in sistendis excretionibus nimiis se commendet, et martialia prudenter applicata, in curatione morborum a partium solidarum laxitate et debilitate prouenientium, vt cachexiae, chlorosis, leucophlegmatiae morbique hypochondriaci, et excretionibus nimis auctis moderandis, optimum exserant effectum. Cortex chinae, si in puluere adhibetur, sufficit eius drachma dimidia pro vna vice, sed repetatur necesse est; alias dosis eius vsque ad drachmam integram extendi potest. Cortex vero cascarillae, vtpote qui cum cortice chinae eandem, sed validiorem possidet virtutem, minori quantitate adhiberi debet, et in substantia a granis decem ad scrupulum vnum, in essentia a guttis viginti ad quadraginta, in extracto a granis duobus ad grana quinque et sex, dari potest.

§. 171.

De dosi medicamentorum martialium.

Martialium dosin difficilius quidem licet determinare, quoniam medicamenta, quae ex marte conficiuntur, vario modo praeparantur, vti

vti ex multis iisque admodum diuersis medicamentorum martialium praeparationibus et compositionibus, in libris passim exstantibus, satis superque apparet; in genere tamen hoc est notandum, quod ea, quae aliis magis sunt concentrata, vique adstringendi maiore praedita, minori sint propinanda dosi, et quod plerique celeberrimi Medici, in artis exercitio versati, eorum doses sequenti modo determinent. *Illustris b. m.* HOFFMANNVS crocum martis tenuissimum, et limaturam martis in subtilissimum pollinem redactam, commode ad grana decem pro vna vice dari posse asserit; STAHLIVS vero, teste *excellentissimo b. m.* SCHVLZIO, in *thesibus suis de materia medica p. 90.* crocum suum martis aperitiuum a granis duobus vsque ad sex grana exhibendum suasit. *Tinctura martis Zwelfferi, siue tinctura martis cum arcano tartari*, affirmante id eodem loco Viro modo laudato, a guttis quadraginta vsque ad drachmas tres ab ipso Zwelffero commendatur, *tincturae vero martis Zwelfferi ex croco* dosis minor est, eaque vltra drachmam vnam non datur. *Tincturae martis tartarisatae Ludouici, tincturae martis cum succo pomorum Borsdorfiorum, nec non tincturae martis vitriolatae* dosis, ex eiusdem viri testimonio, est drachma vna ad duas. *Elixir martis balsamicum*, ad mentem beati HOFFMANNI praeparatum, ab illo ad guttas triginta et quadraginta praescribitur, et idem, quantum

tum mihi saltem constat, tincturae modo adductae martiales longe minori, quam ea, quae a beato SCHVLZIO determinata fuit, quantitate vt exhibeantur, suadet, nec, vt mihi videtur, sine ratione.

§. 172.

De dosi camphorae.

Restat adhuc aliquid dicere de dosi camphorae, remedii in inflammationibus discutiendis, febribus contagiosis, malignis, putridis, praestantissimi. Paucis multa de eius effectu salutari dixi, et qui plura de hoc legere cupit, illa inueniet in eleganti dissertatione *beati* HOFFMANNI, mei olim Praeceptoris maximopere colendi, *de camphorae vsu interno securissimo et praestantissimo*, in *Operibus eius medicis varii argumenti* iterum recusa. Hic vir celeberrimus, qui in adhibendis remediis admodum sollicitus fuit ac prudens, camphoram raro solam interne, sed cum nitro mixtam exhibendam iussit, eiusque granum vnum, vel duo, pro vna dosi sufficere obseruauit.

§. 173.

De dosi mercurialium.

Inter mercurialia, quae interne saliuationem mouendi fine dantur, tutissimum ac optimum est mercurius dulcis, probe per decoctionem iteratam a reliquis mercurii sublimati virulentis particulis depuratus. Prima vice vltra grana sex pro dosi offerri non solet, augendo circa alterum diem hanc dosin ad duo vel tria grana, et paulatim ita ascendendo, donec

donec ad drachmam dimidiam peruentum sit, et saliuae oriatur fluxus. Turpethum minerale, arcanum corallinum, quod alias mercurii praecipitati rubri nomine venit, mercurius praecipitatus albus, si scopo saliuae fluxum promouendi dantur, longe minori sunt exhibenda quantitate et sufficiunt pro dosi grana duo. Haec enim praeparata, propter particulas salinas concentratas iis adhaerentes, drasticae sunt virtutis, ita, vt maiori dosi vomitum et alui fluxum cum torminibus, vel horum alterutrum, concitent. Mercurium vero viuum nonnulli non sine fructu ad passionem iliacam periculi plenam curandam adhibent, neque eius vsus tunc est reprehendendus, si ileus oritur a fecibus alui induratis, intestina in loco quodam obstipantibus, vel ab intestinis conuolutis et se mutuo ingressis. Quod si itaque, circumstantiis probe exploratis, mercurii viui vsus ad hunc finem vtilis ac necessarius iudicatur, prius probe depurandus, lauandus et per corium traiiciendus est, neque facile vltra libram dimidiam vel integram offerendus, quod optime fit cum iusculo pingui. Valde vero cauendum est, ne quis eo inflammatione praesente et viribus aegri iam deiectis vtatur.

§. 174.

Quantitas medicamenti relatiui, quae vna vice sumenda, est ita comparata, vt vel saluo medicamenti effectu variari queat, vel non. Quantitas medicamenti

vna vice sumenda variari potest, vel non.

Iam dosis est quantitas medicamenti relatiui, quae vna vice est sumenda §. 13. Ergo dosis ita comparata sit necesse est, vt vel saluo medicamenti effectu, qui intenditur, variari queat, vel non.

§. 175.

Definitio doseos arbitrariae et definitae.

Dosis medicamenti, quae saluo medicamenti effectu, qui intenditur, mutari potest, dicitur arbitraria, ea contra, quae saluo medicamenti effectu, qui intenditur, variari nequit, appellatur dosis definita, siue definienda. Patet ergo, dosin medicamenti esse vel arbitrariam, vel definitam, siue definiendam §. 174.

§. 176.

Dosis arbitraria potest vel augeri, vel minui.

Quantitas medicamenti vna vice sumenda, quae variari potest, vel potest augeri, vel minui. Iam dosis medicamenti arbitraria est quantitas, quae variari potest §. 175. Ergo dosis medicamenti arbitraria potest vel augeri, vel minui.

§. 177.

Quando dosis medicamenti definita esse debeat.

Si dosis medicamenti ita est comparata, vt vel excessu, vel defectu peccans, damnum producat, definita esse debet, siue est definienda. Cum enim finis medicamenti sit sanitas, medicamentum tanquam medium ad hunc finem non nisi in ea quantitate est adhibendum, quae eidem conueniens est. Iam ponas, hanc quantitatem non esse nisi vnicam. Quare, si plus minusue ea sumatur, seu, si ex-

excessu vel defectu peccetur, Medicus finem desideratum non obtinebit. Quapropter, cum tamen medicamentum medium ad eum finem assequendum esse debeat (per demonstr.), Medicus etiam hanc vnicam quantitatem indigitare debet, seu dosis debet esse definita §. 175.

§. 178.

Quod dosis medicamenti, excessu vel defectu peccans, damnum producere possit, res est experientiae testimonio satis superque confirmata. Sic dosis medicamenti excessu peccat, quando exinde nimia sequitur operatio, vel a copia medicamenti natura obruitur viresque eius prosternuntur. Defectu vero ratione doseos peccat medicamentum, dum non sufficit morbo debellando, sed potius permittit, vt vel in statione sua contumaciter maneat, vel maiores vires indulgendo acquirat. Scholion.

§. 179.

Cum dosis medicamenti, si ita est comparata, vt vel excessu, vel defectu peccans damnum producat, definita esse debeat §. 177, sequitur, vt dosis medicamenti, si ita est comparata, vt vel excessu, vel defectu peccans nullum inferat damnum, non sit definita, sed saluo medicamenti effectu variari possit, adeoque sit arbitraria §. 175. Patet ergo, dosi medicamenti arbitrariae tunc esse locum, Quando dosi arbitrariae locus sit.

quando ex eius exceſſu vel defectu nullum oritur damnum.

§. 180.

Quaenam medicamenta doſi adhibeantur arbitraria.

Doſes vehiculorum, in quibus medicamenta aſſumuntur, item ipſorum medicamentorum, quae ad cibi et potus indolem et ſuavitatem propius accedunt, vti decoctorum, ptiſanarum, iuſculorum, iuleporum, morſulorum iucundorum, ita ſunt comparatae, vt ex earum defectu vel exceſſu nullum, vel non notabile ſaltem, oriatur damnum. Iam medicamenta adhibere licet doſi arbitraria, quorum exceſſus vel defectus nullum infert damnum § 179. Quid igitur mirum eſt, vehicula et medicamenta ad cibi et potus naturam et gratiam accedentia et a me recenſita, doſin admittere arbitrariam. Eodem modo facile demonſtrari poteſt, etiam ea doſin admittere arbitrariam, quae varias ob cauſas medicamentis ſunt admiſcenda, ita tamen, vt virtutem eorum nec augeant, nec imminuant, vel ſaltem admodum parum.

§. 181.

Conſultum eſt, vt doſis medicamentorum arbitraria, quamuis non adeo ſtri-

Licet vero in arbitrio applicantis medicamentum poſitum ſit, quantum de medicamentis, doſin arbitrariam admittentibus, adhibere velit, conſultius tamen eſt, vt etiam hoc in caſu Medicus, quamuis non adeo ſtricte, determinet doſin. Metuendum enim eſt, ne, ſi aeger medicamenta faſtidiat, ea plane omittat, vel nimis parua in quantitate ea aſſumat, vel,

vel, si palato arrideant, in nimia quantitate & de adhibeat. determinetur.

§. 182.

A multis quidem causis vires medicamentorum eiusdem speciei immutantur, et vel augentur, vel imminuuntur, eamque ob rationem iis diuersae a diuersis assignantur doses; nihilominus tamen in specie medicamentis, vti id a me iam factum fuit in antecedentibus, constituendae sunt certae doses, rationi conformes et vsu comprobatae, quae illis conuenient in eo statu virtutis, in quo ordinarie constituta deprehenduntur, hominique adulto, in aetatis vigore constituto, competunt. Tales doses vocantur *ordinariae*. Ego in antecedentibus earum iam feci mentionem, ideo non plura addam. Doses ordinariae medicamentorum sunt determinandae.

§. 183.

Quantitas potest augeri et minui (per princ. mathem.). Si augetur quantitas, illa augeri potest vel per additionem, vel per multiplicationem; si vero minuitur, illa minuitur vel per subtractionem, vel per diuisionem (per princ. mathem.). Iam dosis est quantitas §. 134. Ergo dosis potest vel augeri, vel minui, et si augetur, illud fit vel per additionem, vel per multiplicationem, si vero minuitur, illud fit vel per subtractionem, vel diuisionem. Dosis potest augeri vel minui.

§. 184.

Quantitas medicamenti relatiui generalis tot doſes continere debet, quot ad finem ſuum neceſſarias iudicat Medicus.

Medicamentum relatiuum eſt medium ad finem deſideratum obtinendum. Quare cum medium rationem ſufficientem finis in ſe continere debeat (per princ. philoſ.), quantitas medicamenti relatiui tanta eſſe debet, quanta ad hunc finem requiritur. Et cum doſes ſint partes quantitatis generalis medicamenti relatiui, et quantitas generalis ex tot partibus conſtare debeat, quot ad finem datum neceſſariae ſunt, tot etiam doſes contineat neceſſe eſt, quot ad finem ſuum neceſſarias exiſtimat Medicus.

§. 185.

Quantitates generales medicamentorum relatiuorum ſunt in ratione molium et numerorum doſium compoſita.

Quantitates generales medicamentorum relatiuorum ſunt in ratione molium et numerorum doſium compoſita. Cum enim quantitates generales medicamentorum relatiuorum tot doſes continere debeant, quot ad finem datum ſunt neceſſariae §. 184, numerum determinatum doſium determinatae cuiusdam molis complectuntur, et ſunt ergo vt facta numerorum doſium in moles earundem. Quare cum facta ſint in ratione factorum compoſita, (per princ. arithm.) quantitates generales medicamentorum relatiuorum ſunt in ratione molium et numerorum doſium compoſita.

§. 186.

§. 186.

Cum quantitates generales medicamentorum relatiuorum sint in ratione molium et numerorum dosium composita §. 185, sequitur, vt, si molem doseos in numerum eius ducas, quantitas medicamenti relatiui generalis prodeat. Et sic habemus modum, ex quantitate speciali medicamenti relatiui, vtpote quae dosis est §. 138, inueniendi quantitatem generalem. Patet porro ex dictis §. 185, quod numerus dosium inueniatur, si quantitas generalis medicamenti relatiui diuidatur per molem, moles vero doseos prodeat, si eadem quantitas generalis per numerum dosium diuidatur, atque sic exinde infertur, quantitatem generalem eandem esse cum quantitate speciali, siue dosi, si numerus eius est vnitas, contra vero ad eandem esse in genere in ratione multipla, er ad minimum in dupla, si numerus dosium vnitatem excedit. Corollarium.

§. 187.

Quoniam haec, quae demonstraui §. 185. 186, quibusdam allatis exemplis faciliora fore conceptu mihi persuadeo, ne quid omittere videar, quod ad eorum clariorem explicationem aliquid facere possit, ea, quae vlteriori eorum illustrationi inseruiunt, huc apponam atque ad ea attendi velim. Quantitas medicamenti relatiui generalis, moles et numerus dosium, sunt tres quantitates, quarum duae posteriores determinant priorem, Scholion.

rem, nimirum quantitatem generalem. Haec est factum, moles vero et numerus dosium sunt factores. Iam ex datis factoribus inuenitur factum per eorum multiplicationem (per princ. arithm.). Ideo quantitas generalis, vtpote quae est factum, prodeat necesse est, si moles et numerus dosium, quippe quae sunt factores, multiplicantur. Docet porro arithmetica, ex dato facto et factore diuisionis ope alterum inueniri factorem. Qua de re ex data quantitate medicamenti generali, vtpote facto, et mole doseos, quippe factore, si illa per hunc diuidatur, inueniatur numerus dosium necesse est, moles vero, si eadem quantitas generalis diuidatur per numerum doseos. Sit v. g. numerus dosium $= 4$

moles dosis $= 3$,

quantitas medicamenti relatiui generalis erit $= 12$.

Maneant hae quantitates eaedem, et prodit numerus dosium $= 4$, si quantitas generalis $= 12$ diuidatur per molem $= 3$, moles contra dosis $= 3$, si eadem quantitas generalis diuidatur per numerum dosis $= 4$.

§. 188.

Scholion. Facile vero patet, supponi in demonstratione § 185. medicamentum relatiuum ita esse comparatum, vt in sufficiente quantitate simul et semel praeparari queat. Quodsi enim hoc singulares circumstantiae in casu obuio dissuadeant,

deant, quantitas medicamenti relatiui generalis, semel praeparanda, hoc modo determinari nequit, sed tunc ad conditiones has singulares est respiciendum.

§. 189.

Numerus dosium est vel simplex, vel multiplex, quandoque arbitrarius. In genere quidem determinari nequit, quinam dosium numerus in casu quouis singulari locum habeat, vtpote cuius determinatio a variis iisque infinitis in eo occurrentibus circumstantiis dependet; interea tamen certae abstractionis ope inueniri possunt regulae prudentiae a Medico circa numerum dosium probe obseruandae, eundemque determinantes. Nihil mihi facilius esset, quam demonstrationem harum regularum prudentiae dare, eamque simul hic subiungere, sed, ne demonstrandi pruritu vexari videar, eas sine demonstratione eo, quo a celeberrimo GAVNIO in libro eius saepius citato traditae fuerunt, ordine hic apponam. De numero dosium pertractatio.

§. 190.

Si dosis vnica scopo Medici sufficit, non opus est pluribus. Regula prima.

§. 191.

Si remedium est iniucundum, ita, vt vel sine molestia aegro applicari nequeat, vel aeger in eo adhibendo tardus sit et difficilis, doses, quantum potes, pauciſſimas praescribe. Regula secunda

§. 192.

Regula tertia. Medicamenta, quae mora facile virtutem ſuam amittunt et corrumpuntur, vti ſunt ea, quae facile exhalant, liqueſcunt, nimis areſcunt, parciore praeſcribantur doſi. Aëris temperies aliaeque circumſtantiae, vitia modo dicta magis minusue promouentes, ſpecialius doſium numerum hoc in caſu determinant.

§. 193.

Regula quarta. Si doſis medicamenti efficax mole maior eſt, quam vt vna vice commode applicari queat, expedit, ſi per alia licet, eam in plures doſes minores, per interualla adſumendas, diuidere, ne applicanti moleſtia, et vel nauſea, vel vomitus excitetur, id quod in procliuibus ad vomitum praecipue obſeruandum eſſe iam dixi §. 147.

§. 194.

Regula quinta. Si doſin efficacem ordinariam medicamenti heroici adhibere velis et debeas, nec tamen eius, cui eſt applicanda, naturae et idioſyncraſiae, aliarumque ſcitu neceſſariarum circumſtantiarum, probe es gnarus, conſultius eſt, doſin efficacem vel per ſubtractionem, vel per diuiſionem minuere minoresque doſes partitis vicibus dare. Idem circa vſum nouorum, et adhuc vſu non ſatis probatorum remediorum obtinere, iam monui ſupra §. 155.

§. 195.

§. 195.

Si incognita, vel dubia morbi indoles incertum facit remedii effectum, quod Medicus, ne artis suae prodere imperfectionem, vel aegrum deserere, et de eius salute desperare videatur, interdum praescribere cogitur, non multae saltem praescribantur doses; minus enim sic aegro molestus est et facilius insuper, si opus est, medicamentum mutare potest. Regula sexta.

§. 196.

Quae sine maiori, difficiliori et longiori opera praeparari nequeunt medicamenta, ad plures doses, nisi aliud quid obstet, praescribe; vt parcas pharmacopoei operae nimium saepe pretiosae. Immo ea etiam, quae peregre mittuntur, ad loca pharmacopoliis bene instructis destituta, si per alia licet, maiori quantitate vt praeparentur, curandum est. Regula septima.

§. 197.

Contra, si Medicus aegro est proximus, eumque frequenter visitare cogitur, dosium numerum contrahat, ne crebrius sine data praescriptione abeat; id quod aliquibus minus est acceptum. Regula octava.

§. 198.

§. 198.

Regula nona. Vbi diu continuandus eiusdem remedii vsus requiritur, in tot, quot necessariae sunt, dosibus praeparandum cura. Saepius enim parsimonia emti suadet vsum, vix, praecipue si fastidio iungitur, ad noui emtionem compulsura. Et itidem multiplicandae sunt doses, si per breuia interualla medicamentum est adhibendum, ne iteratae praeparationis necessitas sit molesta.

§. 199.

Regula decima. Denique, si medicamentum est variandum, quod ex aegrorum culpa, eorum inprimis, qui morbo laborant chronico, plerumque fit, vel indicationes, aliaeque causae requirunt, minorem eius praescribe quantitatem, vt eo crebrius, quando necessarium est, et leuiore sumtu, variare possis.

SECTIO

SECTIO V.
DE
PONDERIBVS MEDICIS.

§. 200.

Quantitas corporis determinatur vel per pondus, vel per volumen.

Cum corpora sint massae extensae, eorum quantitas determinatur vel per quantitatem extensionis, vel per quantitatem massae. Illa audit volumen, haec pondus. Ergo corporum quantitas determinatur vel per pondus, vel per volumen.

§. 201.

Idem valet de medicamentis, eorumque ingredientibus.

Ingredientia medicamentorum, quin medicamenta ipsa sunt corpora. Iam corporum quantitas determinatur vel per pondus, vel per volumen §. 200. Ergo quantitas medicamentorum, eorumqua ingredientium, determinatur vel per pondus, vel per volumen.

§. 202.

De ponderibus in officinis vsitatis.

Pondera, quibus in medicina vtimur, sunt libra medica eiusque partes. Libra vna continet vncias duodecim, vncia vna continet octo drachmas, drachma vna complectitur scrupulos tres, et scrupulus vnus viginti grana.

§. 203.

De signis ponderum.

Medici a longo satis tempore certos, compendii forsan in scribendo causa, excogitarunt characteres, quibus pondera sua designarunt,

runt, atque hi noſtro aeuo vbique ſunt recepti, ita, vt formulam praeſcripturus eos noſſe debeat. Denotat autem

hoc ſignum ℔ libram medicam
— — ℥ vnciam
— — ʒ drachmam
— — ℈ ſcrupulum
— — gr. granum

Dimidia horum ponderum pars deſignari ſolet hoc charactere ß, ita, vt, ſi libra dimidia, vel vncia dimidia ſit denotanda, ſcribatur ſic: ℔ß, ℥ß. Idem ſic ſe in reliquis ponderibus habet.

§. 204.

Scholion. Granum vlterius in partes diuidi poteſt et diuiditur, ac piperis albi, vel hordei grano minori circiter aequale habetur. Conſultius autem foret, grano exacte definiti ponderis, vti eo, quo aurifabri vti ſolent, iuxta Fernelii conſilium vti; quum alias reliqua omnia pondera maiora, granum pro baſi habentia, incerta ſint.

§. 205.

Quibus notis numerus ponderum exprimatur. Numerus ponderum non barbaris notis, 1. 2. 3. etc. ſed Romanis, I. II. III. etc. exprimi ſolet.

§. 206.

§. 206.

Vt proportio ponderum vno intuitu comprehendi possit, sequentem tabulam apponam. De proportione ponderum.

℔	℥	ʒ	℈	gr.
℔j	℥XII	ʒXCVI	℈CCLXXXVIII	5760
℔ß	VI	ʒXLVIII	℈CXLIV	2880
℥j	j	ʒVIII	℈XXIV	480
℥ß	—	ʒIV	℈XII	240
ʒj	—	ʒj	℈III	60
ʒß	—	—	℈iß	30
℈j	—	—	℈j	20
℈ß	—	—	— —	10
grj	—	—	— —	1

§. 207.

De determinatione quantitatis medicamentorum per fasciculos, manipulos et pugillos.

Quantitas medicamentorum eorumque ingredientium determinari quoque solet per fasciculos, manipulos et pugillos, atque haec determinatio quantitatis medicamentorum eorumque ingredientium est determinatio quantitatis eorum per volumen §. 201. Valet ista tantum de aridis.

§. 208.

Quid sit fasciculus.

Fasciculus est, quantum vlna, siue brachio complicato capi potest. Aequalis habetur manipulis duodecim, atque sic vtplurimum determinatur quantitas herbarum e. g. pro balneis.

§. 209.

§. 209.

Quid sit manipulus.

Manipulus est, quantum tota manu capi potest. Respondet fere pugillis quatuor, vel vnciae vnius dimidio. Sic determinari solent quantitates herbarum, foliorum et florum, rarius seminum.

§. 210.

Quid sit pugillus.

Pugillus continet, quantum pollice duobusque digitis prioribus vnius manus prehendi potest. Respondet fere drachmae dimidiae, vel integrae. Diuiditur a multis Medicis, iisque accuratioribus, in maiorem et minorem. Per maiorem pugillum intelligunt, si tantum accipiatur, quantum quinque digitorum extremitatibus teneri potest, atque hunc ordinarium esse et circiter drachmam vnam adaequare asserunt. Pugillus minor iis audit, si tantum accipiatur, quantum tribus digitis comprehendi potest, atque hic dimidio fere vnius drachmae respondere dicitur.

§. 211.

Ad quae circa determinationem quantitatis medicamentorum per fasciculos etc. sit attendendum.

Si Medicus medicamentorum quantitatem per fasciculos, manipulos, vel pugillos determinare vult, sciat necesse est, quanta sit illorum densitas et raritas, item quod eorum mensura et virtutes sint aequales. Nam herbae, folia, flores, modo arctius comprimuntur, modo laxius coaceruantur, quin et pro magnitudine brachiorum, manuum ac digitorum, fasciculi, manipuli et pugilli variant, et fiunt vel minores, vel maiores. Denique

in

in deficcando virtutes huic herbae magis, alii minus conſeruantur, et alii magis pereunt. Habet igitur idcirco hoc menſurae genus per faſciculos, manipulos et pugillos, tum demum locum, quando doſis adeo exacta non requiritur, et ex eius exceſſu vel defectu, vel plane nullum metuendum eſt incommodum, vel ſaltem non notabile. Si vero cautione hac in re opus ſit, potius ponderibus, quam faſciculis, manipulis et pugillis, determinentur herbarum, foliorum et florum quantitates, v. g. ſi euacuantia, anodyna et narcotica ſint recipienda.

§. 212.

Faſciculi, manipuli et pugilli biſecari ſolent, et tunc eorum pars dimidia aeque ac ponderum, deſignari ſolet charactere ß. Sic, ſi manipulus dimidius eſt exprimendus, ſcribitur mß. Quomodo pars dimidia eorum exprimatur.

§. 213.

Si medicamenta maſſae homogeneae et eiusdem grauitatis ſpecificae aequalia habeant volumina, pondera ſunt vt numeri eorum, et quantitates eorum numero determinari poſſunt. Sic ordinarie doſes pilularum, quandoque et trochiſcorum, rotularum, bolorumque definiri ſolent numero. Fructus quoque, ſemina maiora, bulbi interdum, albumina et vitelli ouorum praeſcribuntur numero. De determinanda quantitate medicamentorum per numerum.

§. 214.

De quantitate voluminis medicamentorum per congium, cyathum etc. determinanda.

Praeterea quantitas voluminis medicamentorum determinari vulgo solet mensuris cauis, et eam ob causam mensurae cauae medicamentorum sunt vti eorum volumina. Mensurarum cauarum varia apud veteres occurrunt genera, quae nostro tempore fere in desuetudinem abierunt. Sunt vero vsitatae mensurae cauae, congius, sextarius, hemina, cyathus, cochlear. Congius continet sex sextarios, quilibet sextarius pendit libras duas, vel vncias viginti quatuor aquae. Hemina est dimidium sextarii, ac proinde pendit libram vnam, seu vncias duodecim aquae. Pharmacopoeis hoc mensurae genus vsitatum est, et ab aliis simpliciter appellatur *mensura*, cuius pars duodecima *vncia* quoque ab iisdem nominatur. Cyathus est duodecima pars sextarii, et pendit aquae vncias duas, hinc tantum circiter capit, quantum vasculum, ex quo potus Thee hauritur. Cochlear est duodecima pars Cyathi, atque propterea circiter pendit scrupulos quatuor.

§. 215.

De proportione mensurarum cauarum

Vt proportio mensurarum cauarum vno intuitu oculis vsurpari queat, sequentem tabulam hic subiungam.

	Sextarii	Heminae	Cyathi	Cochlear
Congius	6	12	72	864
Sextarius	1	2	12	144
Hemina	—	1	6	72
Cyathus	—	—	1	12
Cochlear	—	—	—	1

§. 216.

De determinatione dosium per guttas.

Nec omittenda est dosium per guttas determinatio, quae hodie frequentissima est, vbi medicamenta liquida exigua dosi praescribuntur, vti sunt essentiae, tincturae, spiritus, olea destillata, et similia.

§. 217.

Massae guttarum, in quanam sint ratione.

Sunt autem massae guttarum in ratione multipliciter composita, ac primo quidem in ratione directa cohaesionis. Cohaesio enim particularum primaria causa est, vt liquida guttatim destillent; sine hac enim statim in minimas dissiparentur moleculas. Cohaesio vero particularum in variis fluidis variat, et modo maior est, modo minor. Spiritus vini particulae non tanta vi sibi inuicem cohaerent, quanta aquae, nec aquae particulae tanta vi, quanta olei. Porro cohaesionem particularum

fluidorum auget eorum viſciditas, atque eadem eorum guttis maiorem conciliat magnitudinem. Ita v. g. guttae mellis, balſamorum, ſunt maiores, quam guttae aquarum, et aquae, in qua gummi ſolutum eſt, guttae ſunt maiores, quam guttae aquae purae.

§. 218.

Ratio maſſae guttarum vlterius exponitur.

Cum guttae in ſuperficie quadam colligantur atque ex ea decidant, eius quoque in determinanda guttarum magnitudine habenda eſt ratio. Guttae enim cadentes e vaſe, cuius margo eſt amplus, ſunt maiores, et contra, ſi a fili extremitate decidant, multo minores, vnde patet, guttas eſſe in ratione directa ſuperficierum, in quibus colliguntur, et a quibus deſtillant. Neque minus guttas aſperitas ſuperficiei, e qua cadunt, reddit maiores, quoniam liquidi particulae ab aſperitate ſuperficiei diutius retinentur, vt hac ratione maior liquidi quantitas in vnam colligatur guttam. Quemadmodum vero ſuperficiei, e qua guttae cadunt, aſperitas liquidi collectionem adiuuat, ita ei ſuperficiei laeuitas obeſt, quam ob rem ceteris paribus e ligneis vaſis maiores, quam e vitreis, cadunt guttae. Maſſae itaque guttarum ſunt in ratione directa ſcabritiei, ſed in reciproca laeuitatis, quae eſt in ſuperficiebus, a quibus cadunt.

§. 219.

Determinatio quantitatis per

Hae ſunt praecipuae, ſed non omnes rationes, pro quarum varietate guttae quoque va-

variant, et reliquas proferre possem, nisi mihi sit verendum, ne his lectoribus sim molestus. Prolatae igitur sufficiant. Satis enim superque ex adductis §. 217. 218. apparet, cum guttae tot modis variari possint, dosin medicamentorum vix accurate per guttas determinari posse. Quamobrem dosium per guttas determinatio eo casu habet locum, vbi rigor non requiritur, nec damnum est metuendum, etiamsi quantitas medicamenti liquidi per guttas determinata dosin destinatam paululum excedat, vel ab illa deficiat. guttas non est exactissima.

§. 220.

Qui vero magis accuratam dosium determinationem per guttas, quam quae vulgo in vsu est, desiderat, huic incommodo, de quo §. 219 dictum est, facile mederi potest, si nimirum, postquam vasculo vitreo inditum est medicamentum guttatim assumendum, guttulae quotcunque effusae pondere examinentur. Ita enim pondere illarum inuento, facile deinde per proportionum regulam directam inuenire potest, quot cuicunque ponderi guttae, ex eodem vel simili vasculo cadentes, respondeant. Sic e vasculis illis minoribus, dispensationi essentiarum destinatis, dum liquida mediocriter destillant, vnaquaeque gutta circiter grani vnius pondus adaequat. Quomodo satis accurate quantitas per guttas determinari possit.

§. 221.

Eadem, quam determinationi quantitatis medicamentorum per fasciculos, manipu- Scholion.

los et pugillos subiunxi §. 211, cautela circa determinationem dosium per congium, sextarium, heminam, cyathum et cochlear est obseruanda. Hae etenim posteriores mensurae in variis locis variant, nec minus sunt constantes, quid? quod pro diuersitate liquorum plus minusue continent, vnde praehis certior ponderum vsus est, si quantitas medicamentorum accuratius est determinanda, vel, si hae mensurae placent, scire expedit, quantum pondus de variis liquoribus capiant.

§. 222.

De expressione ponderum maiorum.

Pondera maiora, vel integra, vel dimidia, propriis suis notis, non notis ponderum minorum, ex quibus constant, sunt exprimenda. Sic non solemus praescribere ℈ij ß, sed ʒß, neque ʒIV, sed ℥ß.

§. 223.

Quomodo eadem ingredientium quantitas exprimatur.

Si plura medicamenti ingredientia, proxime sibi inuicem subiuncta, aequali singula quantitate praescribuntur, non necesse est cuiuis ingredienti quantitatem suam sigillatim adscribere, sed signo $\overline{aa}$ vtimur, vtpote quod ante postremi illorum ingredientium quantitatem designandam positum notat, de priorum singulis tantundem esse recipiendum. Sic v. g. si aquae ceraforum nigrorum vncia vna

sit

sit accipienda, et tantundem de aqua florum tiliae, sambuci et acaciae, scribitur sic:

℞ Aquae cerasor. nigr.
flor. tiliae
sambuc.
acac. aa ℥j.

§. 224.

Quando quantitatis determinatio pharmacopoei arbitrio relinquitur.

Nonnunquam quantitatis medicamenti determinatio pharmacopoei arbitrio relinquitur, atque hoc indicatur signis: q. s. quod significat: quantum satis, quantum sufficit. Hoc fit et ferri potest in iis casibus, vbi pharmacopoeus quantitatem, quae eius arbitrio determinanda committitur, ex cognito ipsi consistentiae desideratae gradu, vel alia quadam regula stabili, ipsi nota, iuste determinare potest, in aliis vero casibus nimis vagis, in quibus pharmacopoeus nescit quantitatem satis accurate determinare, id est vitandum

§. 225.

Cognitio ponderum veterum est necessaria.

Veteres aliis vsi sunt modis quantitates determinandi, qui, licet hodie sint exoleti, Medico tamen cogniti sint necesse est, vt eorum scripta legere et intelligere possit, praecipue, si eorum praeiudicio auctoritatis est deditus. Videantur hinc apud FERNELIVM, SENNERTVM aliosque.

SECTIO VI.
DE
SIGNIS FORMVLAE.

§. 226.

Omnis formula signis est exprimenda.

Cum formula sit determinatio modi, quo medicamentum fieri debet, signis expressa §. 2, sequitur, vt omnis formula, si est concinnanda, signis sit exprimenda.

§. 227.

Definitio signi.

Signum est obiectum externum, siue in sensus incurrens, cuius cogitatio excitat in nobis cogitationem rei alterius cum ipso coniunctae.

§. 228.

Formula per talia est exprimenda, quorum cogitationes excitant cogitationes aliarum rerum.

Omnis formula signis est exprimenda §. 226. Iam signa sunt obiecta externa, quorum cogitationes excitant in nobis cogitationes rerum aliarum cum ipsis coniunctarum §. 227. Ergo omnis formula est exprimenda per talia obiecta, quorum cogitationes excitant in nobis cogitationes rerum aliarum cum ipsis coniunctarum.

§. 229.

Signa cogitationum eas exprimunt vel communiter vel non.

Omnia signa, quibus cogitationes nostrae exprimuntur, sunt ita comparata, vt vel communiter iis vtamur ad cogitationes nostras per ea exprimendas, vel non communiter.

§. 230.

§. 230.

Definitio signorum ordinariorum et extraordinariorum.

Signa cogitationum, quibus communiter vtimur ad eas exprimendas, dicuntur ordinaria, extraordinaria vero sunt ea, quibus non communiter vtimur ad cogitationes nostras exprimendas.

§. 231.

Omnia signa sunt vel ordinaria, vel extraordinaria.

Omnia signa cogitationum sunt ita comparata, vt vel iis communiter vtamur ad cogitationes nostras exprimendas, vel non §. 229. Iam illa audiunt ordinaria, haec extraordinaria §. 230. Ergo omnia signa sunt vel ordinaria, vel extraordinaria.

§. 232.

Ad quos sensus referantur signa ordinar.

Ordinaria cogitationum signa referuntur vel ad sensum visus, vel auditus.

§. 233.

De sonis articulatis, vocibus, et terminis.

Ordinaria illa cogitationum signa, quae pertinent ad sensum auditus, sunt soni articulati, qui vocum nomine, et quatenus signa sunt idearum, terminorum nomine veniunt.

§. 234.

De scriptura.

Illa signa cogitationum ordinaria, quae ad sensum visus referuntur, sunt ductus in extenso quopiam, et hi *scripturae* nomine veniunt.

§. 235.

Scriptura indicat cogitationes vel mediate, vel immediate.

Scriptura indicat vel proxime, siue immediate cogitationes, vel remote, siue mediate, dum proxime voces indicat atque per has deinde cogitationes.

§. 236.

Definitio scripturae ordinariae et extraordinariae.

Scriptura, quae mediate, siue remote cogitationes indicat, ita, vt proxime voces et his mediantibus tandem cogitationes denotet, dicitur *ordinaria*, haec vero, quae immediate, siue proxime cogitationes indicat, *extraordinaria* appellatur. Patet ergo, scripturam esse vel ordinariam, vel extraordinariam §. 235.

§. 237.

Scholion.

Scriptura ordinaria apud plerasque obtinet gentes. Attendat quis v. g. ad scripturae genus ordinarium, quo Germani vel Latini vtuntur, et conuincetur de veritate eorum, quae dixi §. 236. Deprehendet nimirum, literas Germanorum vel Latinorum non indicare immediate siue proxime cogitationes, sed primo voces, et deinde his mediantibus cogitationes, et sic quoque cum reliquis scripturae generibus est comparatum. Scriptura vero extraordinaria obtinuit olim in hieroglyphicis Aegyptiorum, atque hodienum in Sinensium monumentis, itemque in Chemicorum et Astronomorum signis obtinet. Sic v. g. ♂, quod notat chemicis ferrum, Astronomis planetam martem, et ♄, quod apud Chemicos significat plumbum, apud Astronomos Saturnum, et alia signa pertinent ad scripturam extraordinariam. Denotant enim haec signa non immediate voces et his mediantibus demum cogitationes quasdam, sed res ipsas proxime et immediate.

§. 238.

§. 238.

Formula signis vel ordinariis, vel extraordinariis poteſt exprimi.

Omnis formula ſignis eſt exprimenda §. 226. Iam ſigna cogitationum ſunt vel ordinaria, vel extraordinaria §. 230. Ergo omnis formula ſignis cogitationum vel ordinariis, vel extraordinariis poteſt exprimi.

§. 239.

Formula ſignis ordinariis ad ſenſum auditus, vel viſus pertinentibus exprimi poteſt.

Omnis formula ſignis cogitationum ordinariis poteſt exprimi §. 238 Iam ſigna cogitationum ordinaria referuntur vel ad ſenſum viſus, vel auditus §. 232. Ergo omnis formula ſignis cogitationum ordinariis exprimi poteſt, quae referuntur vel ad ſenſum auditus, vel viſus,

§. 240.

Formula vocibus exprimi poteſt,

Omnis formula ſignis cogitationum ordinariis exprimi poteſt, quae pertinent ad ſenſum auditus §. 239. Iam ſigna cogitationum ordinaria, quae pertinent ad ſenſum auditus, dicuntur voces §. 233. Ergo omnis formula vocibus exprimi poteſt.

§. 241.

Scholion.

Apparet ex hoc §. 240, Medicos peccare, qui formulam definiunt per praeſcriptum medicamenti a Medico ad pharmacopoeum, chartulae ſiue ſchedulae inſcriptum. Nonne Medicus, ſi pharmacopoeo vel alii ſcientia medicamenti praeparandi inſtructo praeſens eſt, for-

formulam aeque vocibus, ac calamo exprimere potest? Nemo certe hoc negare audebit.

§. 242.

Omnis formula scriptura exprimi solet.

Omnis formula signis cogitationum ordinariis, quae pertinent ad sensum visus, exprimi potest §. 239. Iam signa cogitationum ordinaria, quae ad sensum visus pertinent, scripturae nomine veniunt §. 234. Omnis igitur formula scriptura exprimi potest. Atque hoc plerumque fieri solet.

§. 243.

Formula scriptura vel ordinaria, vel extraordinaria exprimi potest.

Omnis formula scriptura exprimi potest §. 242. Iam scriptura est vel ordinaria, vel extraordinaria §. 236. Ergo omnis formula scriptura vel ordinaria, vel extraordinaria exprimi potest.

§. 244.

Scholion.

Verum est, omnem formulam scriptura vel ordinaria, vel extraordinaria exprimi posse §. 243, sed more non est receptum, vt formula, quae est scribenda, tota vel scriptura ordinaria, vel extraordinaria exprimatur, sed partim scriptura ordinaria, partim extraordinaria designari solet. Hoc vero nec necessarium esse, nec ad formulae essentiam pertinere, sed plane arbitrarium et tantummodo ita vsitatum esse, satis superque apparet. Sic haec formula:

℞

℞ ♃is ♄ii ☉rat vlt. ♆tion.
♆i ☽-)lat. āā gr. VI.
conch. ppt. gr. VIII.
M. F. puluis.

maxima ex parte ſcriptura extraordinaria, ex alia vero parte, minima certe, ordinaria ſcriptura eſt expreſſa. Sed quaeritur, num ille ſit reprehendendus, an non? qui ſcriberet ita:

Recipe: Sulphuris antimonii aurati
vltimae praecipitationis
tartari vitriolati ana grana ſex
concharum praeparatarum grana octo
Miſceatur, fiat puluis.

Reſpondeo: hic formulam ſcripſit regulis ad eſſentiam eius pertinentibus exacte reſpondentem, nec vlla in re eſt reprehendendus, niſi in eo, quod in ſcribenda formula modum ſcripturae a Medicis receptum non fuerit ſecutus.

§. 245.

Cur ſigna formulae inventa fuerint.

Hic poſterior modus exprimendi formulam ſine characteribus, de quo §. 244. dictum eſt, Medicis nimis prolixus forſan, vt mea fert opinio, et moleſtus eſt viſus, eamque ob cauſam, vt huic mederentur incommodo, et breuius exprimerent formulam, inuenerunt certos characteres, ſiue ſigna. Sed alia quoque iis eſſe potuit ratio characteres excogitan-

gitandi, vt nimirum ea in formula celarent, quae aliis scitu nec necessaria, nec scire licita fuerunt.

§. 246.

Signa formulae respiciunt vel formam, vel materiam medicamenti.

Cum formula determinet tam formam, quam materiam medicamenti §. 4. 5. signa circa formulam occurrentia respiciunt vel formam, vel materiam medicamenti.

§. 247.

Signa respicientia materiam medicamenti respiciunt quoque ingredientia medicamenti.

Ea, quae materiam medicamenti constituunt, dicuntur ingredientia eiusdem §. 8. Iam signa in formula respiciunt vel materiam medicamenti, vel eiusdem formam §. 246. Ergo ea signa circa formulam occurrentia, quae respiciunt materiam medicamenti, respiciunt quoque ingredientia medicamenti.

§. 248.

Signa ingredientium sunt iterum duplicia.

Signa, quae respiciunt ingredientia medicamenti, spectant porro eorum vel qualitatem, vel quantitatem.

§. 249.

§. 249.

De signis ingredientium quoad qualitatem.

Signa ingredientium medicamenti quoad qualitatem in omnibus Lexicis pharmaceuticis occurrunt, vt superuacaneum sit, ea hic loci repetere.

§. 250.

De signis ingredientium quoad quantitatem.

Signa ingredientium quoad quantitatem sunt p, quod denotat pugillum, et m, quod denotat manipulum. Reliqua huc pertinentia iam indicata sunt §. 203, ideo ea pariter hic repetere nolo.

§. 251.

Quaenam signa Medico in formula sint eligenda.

Cum signum sit obiectum externum, cuius repraesentatio in alio excitare debet repraesentationem rei alterius cum ipso coniunctae §. 227, Medico signis in formula, ad quam quis medicamentum praeparare debet, vsuro, talia eligenda sunt signa, quorum repraesentationes excitant in alio, qui medicamentum praeparare debet, cogitationes illarum rerum, quas cum istis signis coniunxit.

§. 252.

Quaenam signa porro Medico in formula vitanda sint.

Medicus signis in formula, ad quam quis medicamentum praeparare debet, vsurus, eiusmodi adhibere debet signa, quorum repraesentationes excitant in alio, qui medicamentum ad formulam datam praeparare debet, cogitationes illarum rerum, quas cum suis signis coniunxit § 251. Qua de re ipsi eiusmodi signis in formula vti non licet, quorum repraesentationes in illo, qui medicamentum ad hanc

prae-

praeparare debet, vel plane nullas excitant cogitationes illarum rerum, tanquam cum istis coniunctarum, vel illas quidem, sed et praeterea alias, quas cum signis suis nec coniunxit, nec coniungendas esse voluit.

§. 253.

Definitio signi ignoti et aequiuoci.

Si quod signum in alio nullam excitat cogitationem alterius rei, tanquam cum ipsa coniunctae, hoc alii est ignotum; si vero quoddam signum in alio excitare quidem potest cogitationem eius rei, quam quis cum ipso coniunxit, sed praeterea etiam aliam, quam cum signo suo non coniunxit, ita, vt alius nesciat, vtra signo indicetur, hoc alii est aequivocum.

§. 254.

Medicus in formula non debet adhibere signa, quae praeparanti medicamentum sunt ignota vel aequivoca.

Medicus signis in formula vsurus non eiusmodi debet adhibere, quarum cogitationes in illo, qui medicamentum ad hanc praeparare debet, vel plane non excitant cogitationes illarum rerum, quas cum istis coniunxit, vel illas quidem, sed et praeterea alias, quas cum signis suis nec coniunxit, nec coniungendas esse voluit §. 252. Iam priora signa sunt ignota, posteriora aequiuoca §. 253. Ergo Medicus signis in formula vsurus non adhibere debet signa, quae praeparanti ad hanc medicamentum sunt aequiuoca, vel ignota.

§. 255.

§. 255.

Hoc, quod demonstraui de signis in genere §. 251 — 254, valet quoque de signis allegatis §. 249. Qua de re Medicus in eo caute et circumspecte agere, nec iis signis promiscue in formulis vti debet, nisi certus sit, ea praeparanti medicamentum ad formulam esse nota. Eum praeterea signa, si quibus vti velit, distincte exprimere debere, vt praeparans medicamentum illa cognoscere possit, facile patet. Quae Medico circa signa §. 249. sint obseruanda.

SECTIO VII.
DE
QVALITATIBVS FORMVLAE ACCIDENTALIBVS.

§. 256.

Nec est necessarium, nec ad formulae essentiam pertinet, vt ea in chartula scribatur §. 241. Qua de re qualitates, quae formulae, respectu modi illam scribendi, competunt, non erunt necessariae, sed accidentales tantum. Quoniam vero more est receptum, et plerumque fieri solet, vt formula schedulae inscribatur, qualitates quoque accidentales, quae ipsi hoc respectu propriae sunt, nosse debet Medicus formulam praescripturus, ne morem, qui hac in re obseruatur, vel ignorasse, vel neglexisse videatur. De qualitatibus formulae accidentalibus in genere.

§. 257.

De inscriptione formulae.

Pertinet vero ad qualitates formulae accidentales *inscriptio*, quae in fronte chartae, cui formula inscribitur, poni, et signo quodam pium votum indicare solet. Variat vero pro arbitrio Medici, et quisque hanc vel illam sibi fingere et vsurpare potest. Alii vtuntur hac: †, alii ista: C. D, alii sic scribunt in fronte formulae: I D. vel, quod magis est vsitatum, ℔ et $\frac{\alpha}{\omega}$. A multis omittitur, nec sine peccato.

§. 258.

De initio formulae.

Formulae initium, quod eius inscriptione magis est vsitatum, nota: Rec. vel ℞, quod significat: recipe, designari solet, quo veluti iubetur pharmacopoeus, ea, quae sequuntur, accipere. Vocabulum latinum barbarum, recepta, et germanicum Recept, inde habet suam originem.

§. 259.

De ordine, quo ingredientia scribuntur.

Ordo, quo formulae ingredientia scribuntur, pariter est referendus ad qualitates eius accidentales. Varius enim est in variis formularum speciebus, nec in vna eademque formulae specie vnus idemque obseruatur. In genere tamen est notandum, primo, quod quoduis singulare ingrediens in singulari scribi soleat linea, nec duo vel tria continuo iuxta se mutuo ponantur. Sic scribi non solet:

℞

℞ lap. ♋. ppt. C. C. vſt. ☿ii diaph. $\overline{aa}$ ℥j. flor. ♃r. ℥ß. M. F. puluis, ſed ita:

℞ Lap. ♋. ppt.
C. C. vſt
$\overline{\text{☿ii diaph. aa}}$ ℥j.
flor. ♃ris ℥ß.
M. F. puluis.

Deinde ingredientia eiusdem ſpeciei ſibi mutuo proxime ſubiungi ſolent, vt radix radici, herba herbae, aqua aquae etc. Tum ſpecie diuerſa iuxta quantitatem, qua recipiuntur, plerumque in ſcribendo collocantur, ita, vt iſta, quae maiori praeſcribuntur quantitate, reliquis praeponantur, nullo habito ad baſin reſpectu, num ſcilicet primo, an alio loco ponatur. Sic v. g. in potionibus, electuariis et bolis, aquae et conſeruae, quae tanquam excipientia maiori doſi praeſcribuntur, primum occupant locum. In emplaſtris autem et morſulis excipientia reliquis poſtponuntur. Alias *baſis* primum tenet locum, alterum *adiuuans*, tertium *corrigens*, poſtremum *conſtituens*. Denique hoc eſt notandum, quod ea, quae praeſcribuntur quantitate non definita, vel ex reliquorum ſaltem ingredientium quantitate definienda, fere vltimum ſemper occupent locum. Dantur interea harum regularum exceptiones poſtea indicandae.

§. 260.

De modo scribendi ingredientia nominis communis.

Si plura eiusdem speciei ingredientia, vti dictum est §. 259, sibi mutuo proxime subiunguntur, primo tantum nomen speciei omnibus commune praefigitur, reliquorum vero nomina tantum propria deinceps sub nomine proprio primi ita collocantur, vt cuiuis singularis detur linea. Sic scribi non solet:

℞ rad. chinae
rad. sassap.
rad. scorzon. $\overline{aa}$ ℥ß, sed ita:

℞ rad. chinae
sassapar.
scorzon. $\overline{aa}$ ℥ß.

Hoc igitur quomodo in reliquis formularum speciebus sit adplicandum, facile est conceptu.

§. 261.

Quaenam porro Medico scribenti formulam sint observanda.

Porro Medicus distincte scribat, neque negligenter literas pingat, vtpote ex quo, pharmacopoeo scriptionem non intelligente, et aliud pro designato minus vtile vel plane noxium substituente, magnum, vti experientia docet, aegro conciliari potest damnum. Nec peccet contra orthographiam, ne se pharmacopoei aliorumque ludibrio exponat, atque inconditum scriptionis excessum vitet.

SECTIO

SECTIO VIII.
DE
REGVLIS
IN
FORMVLARVM PRAESCRIPTIONE OBSERVANDIS.

§. 262.

Medicus formulam non debet praescribere sine ratione.

Cum Medicus nihil agere debeat sine ratione sufficiente, nec formulam praescribere debet, nisi ipsi ratio sit sufficiens. Hinc nunquam tumultuario, sed semper ex indicatione prius rite deducta, agat.

§. 263.

Ratio est vel extrinseca, vel intrinseca.

Ratio sufficiens, quae Medicum determinat, vt formulam praescribat, vel latet in natura morbi, vel extra illam. Haec mihi audit ratio sufficiens extrinseca, illa intrinseca.

§. 264.

Medicus formulam praescribere non debet, nisi ipsi sit ratio sufficiens vel extrinseca, vel intrinseca, vel vtraque.

Cum Medicus formulam praescribere non debeat, nisi ipsi sit ratio sufficiens, quae illum ad hoc determinat §. 262, et haec ratio vel sit intrinseca, vel extrinseca §. 263, Medicus formulam non debet praescribere, nisi ipsi ratio sit sufficiens vel extrinseca, vel intrinseca, vel vtraque; e contrario vero formulam concinnare debet, si ipsi ratio sufficiens sit vel extrinseca, vel intrinseca, vel vtraque.

§. 265.

In quibusnam casibus Medicus formulam praescribere debeat, et in quibus non.

Si vel naturae robur adhuc praesens sufficit ad morbum tollendum, vel morbus nullam plane admittit medelam, vel, si admittit, maius exinde nascitur damnum, vel dubia ac incerta adhuc est morbi indoles, nulla Medico est intrinseca ratio §. 263, quae illum determinare possit, vt formulam praescribat. Cum vero plerisque, suae sanitatis curam Medico committentibus, nimis durum sit, ab illo penitus destitui, atque id eos in maiorem suae salutis desperationem adducat, nec consilii, nec arti medicae laudi sit, eius prodere imperfectionem, hae si occurrunt circumstantiae, largiuntur Medico rationem sufficientem externam, cur formulam praescribere debeat. Sunt vero medicamenta huic scopo idonea illa, quae ex inertioribus conflantur, vt emulsiones, mixturae, pulvisculi inefficaces et id genus alia. Haec, si vel maxime nihil efficiant, tranquillum tamen reddunt aegrum, qui saepe mauult pia fraude decipi, quam a Medico destitui.

§. 266.

Medico est determinanda formulae species.

Quodsi ergo Medico est ratio sufficiens illum determinans, vt formulam praescribat, porro ipsi formulae species est determinanda, id quod facile facere potest, si doctrinam indicationum habet cognitam et perspectam.

§. 267.

§. 267.

Cum medicamentum sit medium, quo Medicus vtitur ad finem suum obtinendum, qui est sanitas, et medium eo sit perfectius, quo aptius est, vt per id finis obtineri queat, medicamentum eo est perfectius, quo aptius est, vt per id finem suum assequi possit Medicus, siue, vt eius ope sanitas obtineri possit.

Quodnam medicamentum altero sit perfectius.

§. 268.

Cum medicamentum eo sit perfectius, quo aptius est, vt eo finem suum assequi possit Medicus §. 267, eligere debet in quouis casu medicamenta scopo suo consequendo maxime appropriata.

Medicus eligere debet medicamentum scopo suo maxime appropriatum.

§. 269.

Cum medicamentum eo sit aptius, vt eo finem suum assequi possit Medicus, quo vel tutius, vel citius, vel quo maiori cum iucunditate sanitati conducit, et medicamentum eo sit perfectius, quo aptius est, vt eo finem suum assequi possit Medicus §. 268, medicamentum eo erit perfectius, quo vel tutius, vel citius, vel quo maiori cum iucunditate, reliquis circumstantiis id permittentibus, sanitati conducit.

Quo tutius est, quo citius agit, et quo iucundius est medicamentum, eo est perfectius.

Hoc medicamentum est eligendum, quod vel tutius, vel citius vel maiori cum iucunditate sanitati conducit.

§. 270.

Cum medicamentum eo sit perfectius, quo vel tutius, vel citius, vel maiori cum iucunditate, circumstantiis occurrentibus minime contrariis, sanitati conducit §. 269, Medicus, reliquis circumstantiis id non prohibentibus, medicamentum eligere debet, quod vel tutius, vel citius, vel maiori cum iucunditate sanitati sub modo dicta conditione conducit.

Noua, nondum explorata, inconsueta non adhibere debet Medicus.

§. 271.

Cum Medicus ex vtrisque medicamentis ipsi occurrentibus, quibus finem suum assequi, sed quorum vno finis hic tutius obtineri potest, illud eligere debeat, quo tutius eius finis impetrari potest §. 270, noua, nondum explorata, inconsueta, cum minus tuta sint, non adhibere debet, si aliis, veteribus nempe, probe exploratis, consuetis, cum ea magis tuta sint, idem praestare possit. Quodsi vero hoc circumstantiae in casu obuio occurrentes non permittant, illis vtatur summa cum prudentia, ne famae incurrat periculum.

Hoc, quod dixi, inprimis notandum circa vsum heroicorum.

§. 272.

Hoc, quod dixi §. 271, maxime obseruandum est circa vsum medicamentorum heroicorum, ad quae pertinent purgantia drastica, emetica, opiata, ex mercurio praeparata, et alia §. 159, maxime in subiectis debilioribus, aut valde sensibilibus, ne vehementiae remedii succumbant, in artis medicae Medici-

dicique opprobrium. A drasticis igitur purgantibus est abstinendum, si mitiora sufficiunt, et idem quomodo ad reliquorum medicamentorum heroicorum vsum sit applicandum, facile patet.

§. 273.

Ab vsu obsoletorum et effoetorum, quoniam vel suam, si non totam, ex parte tamen amiserunt virrutem, vel per moram corrupta alienam et noxiam assumserunt indolem, abstineat Medicus, ne vel aegro noxam causetur, vel saltem effectu frustretur. Patet exinde ratio, cur praestet, medicamenta ex officina pharmaceutica celebriore, in qua multa distrahuntur, depromere, cum frequentior distractio frequentiorem requirat renouationem. Si cui vero bona fides et peritia pharmacopoei iam nota est et perspecta, ex eius officina, si vel maxime adeo celebris non sit, sua quoque depromere potest medicamenta. Obsoletis non vtatur Medicus.

§. 274.

Quae aegris ingratas excitant sensationes, quantum fieri potest, vitentur, vel parciori saltem quantitate cum aliis remixta artificiose abscondantur, cum Medicus illud prae alio eligere debeat medicamentum, quod cum emolumento, quod exinde nascitur sanitati, illo maiorem iucunditatem habet coniunctam §. 270. Consultius enim est, nullum, quam eiusmodi exhibere remedium, a quo natura abhorret; Ingrata, quantum fieri potest, vitentur.

id quod in foeminis praecipue hyſtericis, infantibus, aliisque ſubiectis, ſenſatione magna praeditis, eſt obſeruandum.

§. 275.

Idioſyncraſiae ratio eſt habenda circa vſum remedii.

Quae igitur cum ita ſint, nonnunquam conuenit in aegri idioſyncraſiam, reſpectu cuiusdam remedii, inquirere, vtpote qua efficitur, vt remedium, quod alias ex omni parte abſolutum eſt, vel plane non, vel ſaltem ſine noxa applicari nequeat.

§. 276.

Medicus non præſcribat difficulter parabilia, vel ea praeparet ipſe.

Si Medicus de fide et dexteritate praeparantis non eſt certus, praeſtat, Medicum ea, quae accuratiorem et difficiliorem expoſcunt praeparationem, medicamenta, vel plane non praeſcribere, vel propria ſaltem exhibere manu.

§. 277.

A pretioſis abſtineat Medicus, niſi id exigant circumſtantiae.

Pretioſiora medicamenta non adhibeat Medicus, ſi idem minus pretioſis efficere poteſt, quod plerumque obtinet. Vnde patet, quod Medicus in praeſcribendo conſulere aegrotantium crumenae, nec pauperibus inprimis ordinare debeat pretioſa, qualia ſunt bezoar, ninſi, gemmae, margaritae, aut chemica illa magiſteria, quorum maxima pars non minimam promiſſi explet partem. Ditiorum interea luxui hic aliquid det, et eorum opinioni, qui ſaepius ex pretio vim remedii aeſtimant, ſe accommodet Medicus.

§ 278.

§. 278.

Si indigena aeque scopo Medici satisfaciunt, ac exotica, illa his non praeferat, quoniam minus fraudibus ac corruptioni sunt obnoxta. Indigena exoticis non sunt sine ratione anteponenda.

§. 279.

Vulgus, et qui eius opinione sunt capti, putant communia, consueta, ipsisque nomine, sapore aliisque qualitatibus nota, longe minorem, quam singularia, inconsueta et ipsis incognita, sanitati afferre vtilitatem. Medicus ergo haec sciens bene et prudenter agit, dum illa, si iis vti velit et debeat, sub titulo minus vsitato et aliis commixtis tecta praescribit, ne ea vel horreant, vel plane tanquam nihil praestitura aspernentur. Quomodo Medicus se gerere debeat circa vsum consuetorum.

§. 280.

In praescribendis remediis simplicitati et breuitati studeat Medicus, et si natiua et praeparata, simplicia et composita eadem gaudent virtute, natiua praeparatis, et simplicia compositis praeferat. Medicus simplicitati et breuitati formulae studeat.

§. 281.

Vti accurata materiae medicae cognitio Medico formulam praescripturo scitu vtilis est et necessaria, sic illa inprimis, quae in pharmacopoliis loci, in quo praxin exercet, pro- Materiam medicam et appellationes

varias medicamentorum sciat.

prostant; cognita habere debet, ne talia praescribat, quibus carent officinae, et pharmacopoeus aliud pro alio substituat, quod plerumque fieri solet. Porro praeter vires et doses medicamentorum varias vsitatas, eorum appellationes vt sciat necesse est, ne idem remedium eadem in formula sub variis nominibus praescribat.

§. 282.

Consistentiae medicamentorum, tam simplicium, quam compositorum sit gnarus.

Neque minus medicamentorum, tam simplicium, quam compositorum, consistentiae gnarus sit Medicus, ne partim formam alienam, vel mensuram praescribat impropriam, partim vero ne ea in vna eademque formula combinet, quae simul apte et sine mutatione incongrua misceri, vel mista commode adhiberi nequeunt.

§. 283.

Principia, vires, et mutuas habitudines medicamentorum cognitas habere debet.

Opus praeterea est, vt Medicus principia, vires atque mutuas medicamentorum tum ad se inuicem, tum ad instrumenta, quibus praeparantur, habitudines, probe cognita atque explorata habeat, ne talia coniungat in vno eodemque medicamento, quae 1) effectum, qui hoc intenditur, vel plane destruunt, vel saltem impediunt, vel alienum producunt, 2) virulentiam iuncta contrahunt,

vti

vti ex mercurio dulci cum salibus mediis combinato patet, 3) mixta se pertinaciter respuunt, vel odorem tetrum spirant.

§. 284.

Medicus officinalia remedia nosse debet.

Porro Medicus medicamentorum compositorum officinalium ingredientia nosse debet, ne ex tempore componenda iubeat, quae iam composita prostant, vel illa medicamentis officinalibus addat, quae eorum iam ingrediuntur compositionem, nisi id postulet indicatio.

§. 285.

Quomodo in eligenda formulae specie se gerat Medicus.

Si remedia, quorum vsum postulat indicatio, in quamcunque formulae speciem commode redigi possunt, ex aegro quaere, quamnam prae reliquis amet, et cuinam adsueuerit, sed simul, dum aegri arbitrio hac in re te accommodas, morbi naturae, vis, symptomatum aliorumque, qui morbum primarium in aegro comitantur, affectuum rationem habe. Nam morbus quidam, qui curandus est, non omnes ferre potest formulas, sed peculiares, eas nempe, quae indicationibus ex eo depromtis respondent.

§. 286.

§. 286.

Cur non plures regulae afferantur.

Multas in praescribendis formulis observandas supereſſe regulas probe scio, sed quoniam hae maxima ex parte ad methodum medendi pertinent, vtpote in qua pertractari solent, et lectoribus praeterea plurimis saltem moleſtum eſt, si in generalibus nimis sim longus, eas mittam et potius ad specialiora transeam.